



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,  
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice  
Methodum compendiarium reformationis Ecclesiasticæ à Concilio  
Tridentino factæ continente

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1679**

Tractatus I. Institutiones Theologiæ positivæ Complectens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)



TRACTATUS I.

INSTITUTIONES THEOLOGICÆ POSITIVÆ COMPLECTENS.

Proœmium.

**Q**UID sit hæc Theologia, suprâ in Præfatione jam satis est indicatum, quòd scilicet sit illa Scientia, quæ in Genuino Sacræ Scripturæ sensu indagando & explicando occupatur. Ex qua definitione facilè patet, objectum materiale illius adæquatum esse solam & unicam S. Scripturam; formale verò objectum dici posse legitimam explicationem illius; hæc enim velut finis ultimus & adæquatus ab ea intenditur. Unde in his duobus objectis explicandis totus hic Tractatus consistet, quem proinde in duos libros dividam, in quorum priore de Nominibus, Divisione, Auctore, & accidentibus S. Scripturæ agetur; in posteriore verò ea, quæ ad objectum illius formale, seu legitimam interpretationem, variòsque sensus eruendos pertinent, breviter & succinctè, prout Institutionum titulus exigit, explicabuntur.

Cæterùm quantopere hujus Theologiæ studium, universis quidem, sed præcipuè Sacerdotibus commendatum esse debeat, vel ex eo colligi potest, quòd S. Ambrosius de fide ad Gratian. l. 3. c. 7. S. Scripturam,

A

ram,

ram, *Librum Sacerdotalem* ( id est, à Sacerdotibus præcipuè verlandum & explicandum ) *signatum à Confessoribus, & multorum jam Martyrio consecratum* appellaverit. S. Dionysius Areopagita verò c. 1. de Eccl. Hier., *Sacerdotii substantiam* vocaverit; sic enim loquitur: *At rei cuiuspiam substantiâ potius nihil. Nichil igitur Concionatori antiquius esse debet, quàm ut in Sacrarû lectione sit totus, eam nunquâ intermittat; & quamquam aliis libris legendis desit tempus, huic desit nunquam.* Ut ad eò sibi non immeritò applicare debeant Sacerdotes verba illa, quæ olim DEUS ad Josue c. 1. dixit: *Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo; sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias, & facias omnia, quæ scripta sunt in eo, tunc diriges viam tuam, & intelliges eam.* Quæ omnia ut tantò faciliùs, perfectiùsque præstare queat, ea, quæ mox in prælocti tractatu dicentur, non modicè conducent.

LIBER I.  
DE OBJECTO MATERIALI  
THEOLOGIÆ POSITIVÆ,  
SEU  
DE IPSA SCRIPTURA  
SACRA.

ET si plurima sint, quæ ad majorem præstantissimi hujus objecti cognitionem, æstimationemque ingeneranda dici possent, plerâque tamen ad quinque titulos generales vocari queunt, videlicet ad Nomenclationem, definitionem, divisionem, Authorem, & proprietates, seu accidentia S. Scripturæ; quæ proinde eodem ordine, atque sub iisdem titulis proponentur.

TITULUS

TITULUS I.  
DE NOMENCLATIONE  
S. SCRIPTURÆ.

Variis quidem nominibus appellari consuevit S. Scriptura, sed quæ omnia idem significant, solùmque rationes & effectus varios occultè insinuant, ob quas hæc vel illa Nomenclatio libro S. Scripturæ sit data.

Et primò quidem ac ordinariè *Scriptura* appellatur in plurali vel singulari numero, eò quòd ipsa præ reliquis libris digna fuerit, ut scriberetur, & legeretur, atque adeò per Antonomasiam *Scriptura* dici mereatur. Additur tamen frequenter etiam *Sacra* aut *Sancta*, tum ob ipsius Authoris, scilicet Spiritus Sancti sanctitatem; tum quia in se sancta est, & ad ipsos etiam Homines sanctificandos ordinata.

Secundò. Eadem Scriptura etiam *Bibliorum Sacrorum* nomen accepit, quod itidem per Antonomasiam illi convenit, ac apud Latinos idem ac *Libri sancti* significat, quo in sensu Author Libri Machabæorum l. 1. c. 12. eos accepit, dum dixit: *Habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris.* Cur autem in plurali numero *Biblia* vocentur ratio est; quia totum Scripturæ Sacræ volumen varios in se libellos continet, uti infra dicitur: interdum tamen apud Latinos unus Liber appellatur, uti S. Augustinus in Psalm. 150. his verbis testatur est: *Sunt, qui universas Scripturas Canonicas unum Librum vocant, quòd valde mirabili & divinà unitate concordent.*

Tertiò. Etiam Scriptura *Canonica* appellatur, tum à S. Augustino l. c.; tum à Concilio Tridentino Sess. 4.; eò quòd Libri, quos continet, in Sacrorum Librorum Canonem ab Ecclesia sint recepti; & quia rectè vivendi ac credendi Canonem seu normam exhibent; & præterea etiam sunt regula, ad quam omnes aliæ Scripturæ examinari, dirigi, & conformari debent.

Quartò. Eadem S. Scriptura frequenter *Testamenti* nomine exprimitur; quæ Nomenclatio, teste Menochio l. 1. proleg., duplici ex titulo ei attribuitur, nempe & quia genera-

tim Mentem ac Voluntatem DEI manifestat, & testatur; & quia speciatim varia DEI cum Hominibus fœdera, pactaque de terrenis, cœlestibusque bonis, de præceptorum & ceremoniarum observatione præmio, ac pœna patefacit; quam ob causam etiã *Instrumentum* interdum à SS. Patribus vocari consuevit, licet alii etiã ideo *Instrumentum* appellatum existiment, eò quòd à DEO tanquam Organum adhibeatur ad divinas revelationes Hominibus communicandas virtutesque imprimendas.

Quintò denique S. Paulus Rom. 3. & S. David S. Scripturam vocant *Eloquia DEI*; quia, ut Salmeron c. 1. proleg ait, verè per illa tanquam certissima quædam oracula DEI nos alloqui dignatus est, suãque nobis mentem ac promissiones asserere voluit; & præterea S. Scripturæ præcipuè conveniunt illæ proprietates, ac præconia, quæ S. David Ps. 119. Eloquiis DEI attribuit dicens: *Eloquia Domini eloquia casti argenti igne examinatum, probatum terra, purgatum* & c.

## TITULUS II.

DE DEFINITIONE  
S. SCRIPTURÆ.

**U**T hæc definitio faciliùs assignetur, necessariò priùs objectum S. Scripturæ indagandum est; cum enim quæ definitio genere & differentiã constare debeat, differentiã autem scientiarum aut cognitionum ex respectu ad objectum desumatur, meritò ejusmodi objectum ante omnia alia requiritur.

Porro de hoc S. Scripturæ objecto non omnes Commentatores æqualiter discurrunt. Cornelius de Lapide §. 1. cap. proœm. n. 12. sic loquitur: *Vis verbo dicam? S. Scriptura objectum habet omne scibile, omnes disciplinas, & quidquid sciri potest, sinu suo complectitur, ideòque universitas quadam scientiarum, scientias omnes vel formaliter, vel eminenter continens.* In cujus suæ opinionis confirmationem adducit sententiam Originis in cap. 1. S. Joan. sic discurrentis: *Dicitur Scriptura Mundus est intelligibilis suis quatuor partibus, vel quatuor elementis constitutus; cuius terra est velut in*


De Definitione S. Scripturæ.

instar centri, scilicet historia: circa quam aquarum similitudine abyssus circumfunditur moralis intelligentia: Circa Historiam & Ethicam veluti duas Mundi huius partes aër ille naturalis scientia circumvoluitur: extra autem omnia & ultra Æthereus ille & igneus ardor empyrei cali, id est, superna contemplatio divina natura, quam Theologiam nominant, circumglorabatur. Verùm hoc objectum utpote nimis generale minus aptum videtur ad propriam S. Scripturæ definitionem constituendam.

2. Itaque Nicolaus Serarius cap. 2. proleg. ait, generatim loquendo materiam seu objectum S. Scripturæ esse *Verbum DEI scriptum*; speciatim verò res varias, quas Biblia proponunt, quæque uno quasi verbo dici possunt *DEVS in se, suisque operibus consideratus*. Verùm & hoc objectum, saltem secundum posteriorem partem universale nimis, atque historicis libris S. Scripturæ minus convenire videtur.

3. Igitur S. Augustinus in Psalm. 71. videtur Christum pro objecto S. Scripturæ assignare, dum omnia, quæ in sacris libris sunt scripta, ad Christum referri docet his verbis: *Omnes promissiones DEI in Christo formate sunt, quando in illo completum est, quidquid pro salute nostra prophetatum est. Hoc autem in terra esse voluit, quia propter eos, qui in terra sunt, illa conscripta sunt. Unde & ipse in terram venit, ut ea cuncta firmaret, id est, in se monstraret impleri. Oportebat enim, inquit, impleri omnia, quæ scripta sunt in lege & Prophetis, & psalmis de me?* Sed neque hoc objectum rectè historicis S. Scripturæ libris convenire videtur.

Quare rectius videtur primum Serarii objectum, scilicet *Verbum DEI scriptum* assignari, atque adeò S. Scriptura sic defini: *Est Verbum DEI Saeris Scriptoribus divinitus inspiratum, & ab his postea scripto aliis Hominibus communicatum.* In qua quidem definitione generis loco ponitur *Verbum DEI divinitus inspiratum*; differentia verò loco dicitur, quòd scripto communicatum sit, per hoc enim à Verbo DEI non scripto seu Traditionibus differt.



## TITULUS III.

## DE DIVISIONE S. SCRIPTURÆ.

**P**RIUS, quàm divisio S. Scripturæ assignetur, necessariò explicare oportet, quinam sint libri, qui, ut S. Hieronymus loquitur, in numero Sanctarum Scripturarum computari merentur; nam, teste S. Augustino l. 2. contra Cresc. cap. 31. *Salubri vigilantia Canon Ecclesiasticus constitutus est, ad quem certi Prophetarum & Apostolorum Libri pertineant, quos omnino iudicare non audeamus, & secundum quos de cæteris vel fidelium vel infidelium libris iudicemus.*

Porro quinam Libri Canonici censi debeant, Sacrosancta Synodus Tridentina Sessione 4. sequentibus verbis declaravit: *Sacrorum verò Librorum Indicem huic decreto adscribendum censuit, ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ipsa Synodo suscipiuntur. Sunt verò infra scripti, Testamenti veteris, quinque Moysis, id est, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Iosue, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdra primus & secundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Iudith, Esther, Iob, Psalterium Davidicum 150. Psalmorum, Parabola, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Hieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Propheta minores, id est, Osea, Iosel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Nahum, Abacuc, Sophonias, Aggeus, Zacharias, Malachias, duo Machabæorum primus & secundus. Testamenti novi quatuor Evangelistarum secundum Mattheum, Marcum, Lucam, & Iohannem. Actus Apostolorum à Luca Evangelista conscripti, & quatuordecim Epistolæ Pauli Apostoli, ad Romanos, due ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, due ad Thessalonicenses, dua ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos Petri Apostoli dua, Iohannis Apostoli tres, Iacobi Apostoli una, Iude Apostoli una, & Apocalypsis Iohannis Apostoli. Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata editione habentur, pro Sacris & Canonicis non receperit, anathematizetur. Ita Trident. l. c. quibus suppositis, facile nunc crit divisionem S. Scripturæ assignare, utpote ab ipso jam Concilio assignatam.*

Dividitur ergo S. Scriptura receptissimâ divisione in *Vetus ac Novum Testamentum*; Vetus dicitur, quod libros ante Adventum Christi scriptos continet; Novum vocatur, quod Evangelia, aliósq; libros post Christi Nativitatem scriptos comprehendit; & in quatuor partes subdividi potest, videlicet in Evangelia, Epistolas, Actus Apostolorum, & Apocalypsin, sicut Vetus Testamentum in Historicos, Legales, Psalmisticos, Doctrinales, & Propheticos subdividitur. Rectè autem circa duplex hoc Testamentum notat Salmeron proleg. 22. in multis antecellere Novum Veteri Testamento. 1. *Propter ipsum immediatum Authorem*; nam in Veteri solùm per Moysen & Prophetas; in Novo autem per ipsum Filium suum locutus est, uti & per Apostolos, qui veluti primitias Spiritûs habentes, gratiâ & sanctitate longè superant Prophetas. 2. *Propter perfectionem maiorem*; tum quia Vetus Testamentum ad Novum tanquam ad finem, qui utique perfectior est mediis, ordinatur; tum quia Novum Testamentum continet excellentiora mandata, nobiliora promissa, sanctiora & efficaciora Sacramenta, illustriora Christi & Sanctorum exempla, & majora præmia. 3. *Propter durationem longiorem*; nam Vetus ad Certum duntaxat tempus duravit; Novum autem Testamentum in æternum durabit. 4. *Propter amplitudinem*; quia Vetus Testamentum soli Populo ex Jacob descendenti datum fuerat; novum autem ad omnes nationes pertinet, uti Christus indicavit, dum Evangelium omni creaturæ prædicari iussit. 5. *Propter perspicuitatem & charitatem maiorem*; nam in Veteri omnia sub velo, umbra, & ænigmate docebantur; in Novo autem omnia aperte & dilucidè, præsertim quæ ad Christum pertinent, traduntur. 6. *Propter utilitatem*; nam quantum Nucleus Cortici, corpus umbræ, triticum nudum paleis, tantum lex nova veteri præstat, utpote in qua sacrificia egena & infirma per quæ nemo à peccati iugo solvi, Deoque reconciliari poterat.

## TITULUS IV.

## DE AUTHORE S. SCRIPTURÆ.

**E**tiam hæc quæstio non modicè conducit ad æstimationem S. Scripturæ conciliandam & augendam; quò major enim est dignitas, authoritâsq; Authoris, hoc major etiam æstima-



æstimatio, veneratiôque ipsi S. Scripturæ accedet. De duplici autem Authore quæstio hoc loco fieri potest, de primario scilicet, seu eo, qui dictavit & inspiravit S. Scripturam; & de secundo seu Instrumentali, qui velut Amanuensis conscripfit ea, quæ à primario Authore dictata sunt, aliisque communicavit.

De Primario autem Certum est apud Catholicos eum esse solum DEVM; idque colligunt ex variis testimoniis & argumentis. 1. *Ex testimonio ipsius DEI*, qui non rarò miraculis & portentis hanc veritatem confirmavit, ut, dum in Africa Biblia à Fidei hostibus in ignem coniecta, illæsa servavit, & serenissimo cælo magnam vim imbrium ad extinguendum ignem misit, uti Baronius ad annum 20. Christi refert; qui ad annum 755. etiam addit, repertum à S. Bonifacio Moguntino Præsule Evangelii Codicem, qui, licet mediis sæculis esset, nullius tamen literæ deletio facta apparuerit. Sed & Delrius l. 6. c. 2. s. 3. Magic. disquis. testatur, non rarò Dæmones ab obsessis corporibus solà Sacri Codicis applicatione depulso fuisse. Præ reliquis verò memorabile est, quod Eusebius l. 8. præpar. Evang. c. 1. narrat, scilicet quòd miranti Ptolemæo Regi, cur divinorum librorum nulli neque Historici, nec Poætæ veteres meminissent, Demetrius Phaleræus responderit, divinam hanc esse Scripturam atque à DEO datam, propterea si qui prophanorum Hominum eam attingere voluerunt, eos à DEO percussos continuo resiliisse, uti ibidem exemplo cujusdam Theopompi divinorum volumina græcâ oratione ornare volentis, subitâque mentis agitatione perturbati, & alterius Theodori divinam Scripturam in his Tragædiis adhibere conantis, & repentinâ cæcitate puniti probat.

2. *Ex Christi & Apostolorum testimonio*; qui in suis sermone Concionibus, sive Colloquiis, sive Epistolis passim suam doctrinam sententiis & testimoniis ex divino Codice petiti confirmarunt, uti fusiùs Bellarminus to. 1. l. 1. c. 2. ostendit, idque etiam Moyse, & antiquis Prophetis in usu fuisse probat.

3. *Ex testimonio SS. Patrum*; qui nullo ferè argumentorum genere, quàm Sacrarum literarum testimonio in suis sermonibus, librisque sunt usi; sed & DEVM earum Authorem

rem claris testimoniis sunt professi. Ex multis duo vel tria sufficient. S. Gregorius l. 4. Epist. 84. ad Theodorum Medicum scribens, ac, quod S. Scripturam negligenter legeret, reprehendens *Imperator Caeli*, inquit, *Dominus Angelorum & Hominum pro vita tua tibi Epistolas suas transmisit, & tu illas ardentem legere negligis? quid est enim S. Scriptura, nisi quadam Epistola Omnipotentis DEI ad suam creaturam?* S. Augustinus vetò Epist. 19. sic scribit: *Ego fateor Caritati tuae solis eis Scripturarum libris, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem, honorémque deferre, ut nullum eorum Authorem scribendo aliquid errasse, firmissimè credam; alios ita lego, ut, quantalibet sanctitate, doctrinâque præpolleant, non ideo verum putem, quia scripserunt.* Origenes quoque l. 4. de principio. c. 1. id ipsum sequentibus verbis confirmat: *Si quis cum omni studio ac reverentia, quâ dignum est, prophetica dicta consideret, in eo ipso, dum legit, & diligentius intuetur, certum est, quod aliquo diviniore spiramine mentem, sensusque pulsatus agnoscit, non Hominibus esse probatos eos, quos legit, sed DEI esse sermones, & ex semetipso sentiet, non humana arte, nec mortali eloquio, sed divino, ut ita dixerim, cothurno libros esse conscriptos.*

4. Ex incredibile quadam & planè divinâ conspiratione atque concordia tot virorum, qui diversis locis, temporibus, linguis, occasionibus sacra volumina conscripserunt, ut non tam Scriptores ipsi diversi, quàm unius Dictatoris calami diversi vel Amanuenses fuisse videantur. Ubi specialiter memoranda & admiranda venit septuaginta duorum Interpretum versio, qui à Ptolemæo Rege evocati, & seni ex singulis tribubus Judæorum missi, atque ut communior & probabilior habet opinio, in diversas cellulas inclusi, usque adeò in interpretatione convenerunt, ut una versio videri potuerit.

5. Ex innumerorum Martyrum testimonio, qui veritatem istam veluti divinâ suo sanguine obfirmatam posteritati reliquerunt, de quibus Martyrologium Romanum 2. Januarii sic loquitur: *Roma commemoratio plurimorum SS. Martyrum, qui spreto Diocletiani Imperatoris edicto, quo Sacri Codices tradi iubebantur, potius corpora Carnificibus, quàm Sancta dare canibus maluerunt.*

6. Ex Vaticiniorum veritate: de qua S. Augustinus l. 12.

de civ. DEI c. 10. sic discurre: *Quantò minùs credendum est illis literis, quas plenas fabulosas velut antiquitatibus profertur voluerunt contra auctoritatem notissimorum, divinorumque librorum, qua totum orbem sibi crediturum esse prædixit, & eo totus orbis, sicut ab ea prædictum est, credidit: qua vera sonarasse præterita ex his, qua futura prænuñciavit, cum tanta veritate complentur, offendit.*

7. *Ex ipsa materia, quæ nihil, nisi sanctum & ratione maximè conforme continet; ita ut meritò in Sinarum regno Prætor quidam, dum Decalogum in Sacra Scriptura propositum audivisset, multis Proceribus audientibus dixerit: *Latæ divina est, si enim à Rege aliquo condita fuisset, ipsius tantum regno usui fuit; at hæc universalis est, omnibusque omnium Gentium & Regnorum Hominibus consentanea est; idcircoque ab Orbis totius Authore est.**

Secundarium S. Scripturæ Authorem quod attinet, in novo quidem Testamento, Author cujusque sive Evangelii, sive Epistolæ, ex ipso titulo facilè agnoscitur, exceptis Actibus Apostolorum, quæ tamen à S. Luca conscripta fuisse, supra ex Concilio Tridentino vidimus; in veteri autem Testamento, licet de aliquorum librorum Authore secundario certum ac discrepent Commentatores, hæc tamen discrepantia parvi faciendæ est, uti sapienter advertit S. Gregorius, dum præfat. in Job dixit, non esse anxie indagandum, qui sive alicujus libri Author extiterit, eò quòd ille Spiritus Sancti calamus duntaxat fuerit; atque adeò eum, qui multum tali Authore indagando sollicitus esse vellet, perinde facturum, ac faceret ille, qui acceptis & lectis præstantis cujuspiam viri literis ad se datis, studiosè inquireret, quomodo calamo essent exarata; earum autem Authorem & sententiam cognoscere parvi duceret.

#### TITULUS V.

### DE PROPRIETATIBUS S. SCRIPTURÆ.

**J**AM supra insinuatum est, non strictè hîc sumi proprietatem, sed latè pro omni eo prædicato, quod est extra conceptam essentiam; quo in sensu sequentes potissimùm proprietates tribu-

tribuantur S. Scripturæ, infallibilitas, Authoritas, necessitas, utilitas, jucunditas, simplicitas, eloquentia, profunditas, obscuritas, de quibus eodem ordine breviter per sequentes paragraphos est agendum.

S. I.

De Infallibilitate S. Scripturæ.

Merito hæc proprietas primo loco ponitur, quia ita convenit S. Scripturæ, ut nulli alteri. quantumvis classico & probato libro conveniat; cum omnes hi libri ab Hominibus sint conscripti, & excogitati, omnis autem homo mendax, solus DEVS verax sit; teste Apostolo Rom. 3. Unde, quod supra S. Augustinum dixisse vidimus, quod scilicet solis Canonice libris didicerit hunc honorem deferre, ut nihil in illis erroneum reperiiri firmissimè credat, hoc merito quivis etiam alius Christianus dicere potest, & debet.

Cæterum ex triplici potissimum argumento colligitur hæc infallibilitas S. Scripturæ. 1. Ex veracitate infinita ipsius DEI: cum enim DEVS sit Author primarius S. Scripturæ, ut supra fusiùs probatum est; & ratione suæ infinitæ veracitatis errare non possit, rectè deducitur, ipsam quoque S. Scripturam, quæ nihil aliud est, quàm Verbum & eloquium illius, infallibilitatem omnimodam continere. Unde merito Hugo l. 3. de anima dixit: *In Sacra Scriptura, quidquid docetur, veritas: quidquid precipitur, bonitas: quidquid precipitur, felicitas est. Nam DEVS est veritas sine fallacia, bonitas sine malitia, felicitas sine miseria.*

2. Ex infallibili assistentia Spiritus Sancti ipsi Ecclesie promissa: Ratione cujus dicitur columna & firmamentum Veritatis à S. Paulo 1. Timoth. 3.; cum ergo hæc definierit, S. Scripturam pro infallibili regula & norma veritatis habendam esse, merito etiam ex hoc capite infallibilitas ei attribuitur.

3. Ex ipsius continua experientia testimonio: quo comperitum est, quod, licet S. Scriptura aut veritati non satis congrua, aut sibi invicem contradicentia dixisse arguta sit, nunquam tamen ullius manifestæ falsitatis convicta sit; uti sacclare S. Augustinus de prædest. grat. indicavit, dum dixit:

Quis

Quilibet Lector, qui expositurus Sacram Scripturam aggredietur, cum in Sacrarum voluminibus literarum, aliqua verba diversum sonante sententiâ sollicitatur, certa & inconcussa se tenere debet, nusquam deesse veritatem, etsi non facile propriam magnitudinem rei intellectus quærentibus occurrit.

## §. II.

## De Authoritate S. Scripturæ.

Quam necessaria sit hæc authoritas, breviter indicat S. Augustinus l. 1. de doctr. Christ. c. 37. dum dicit: *Titubantes, si divinarum scripturarum vacillet authoritas.* Ut autem facilius ostendatur, quomodo hæc authoritas S. Scripturæ conveniat, notandum est ex Serario c. 7. proleg. duos authoritatem requiri. 1. Excelleus quoddam donum, quod sit quasi fundamentum authoritatis, ob quod alteri fidei obedientia, vel honor debeat, ut enim bene advertit Titubantius, non cani, non rugæ repente authoritatem adferre possunt, sed honestè acta Superior ætas fructus authoritatis capit extremos. 2. Requiritur respectus ad eos, à quibus honor & obedientia exhibenda sunt; unde oportet hos cogitare in altero donum illud, propter quod dicta officia prestare debent. Ex quibus facile nunc patet, maximam authoritatem Scripturæ Sanctæ authoritatem, cum & contineat summam veritatem, ob quam firmissimum ab omnibus illam cogitantibus assensum mereatur; & præterea propter respectum ad DEUM, quem habet tanquam verbum & eloquium illud, etiam summam dignitatem sortiat, ob quam summam honor & Reverentia debeat.

Fuisse autem hanc Authoritatem etiam ab Ecclesia seculi per agnitam, pluribus testimoniis, sed triplici præcipue probari potest. 1. Ex antiquorum Christianorum monumentis, qui, ut B. Paulinus epist. 12. ad Severum testatur, in templis suis duo Secretaria à dextro & sinistro latere a sedibus constituebant, quorum alterum Sanctissimæ Eucharistiæ, alterum Sacræ Scripturæ libris condendis erat destinatum. Conciliis autem Oecumenicis Sacer Evangeliorum Concilio loco medio in alto throno collocabatur, uti P. Antonius Linghem c. 1. præp. ad S. Script. testatur.

2. *Ex Sanctorum, aliorumque præstantium virorum exemplo:* inter quos merito primo loco numerandus venit S. Carolus Borromæus, qui, teste eodem Balinghem, Sacra Biblia nudo capite, & flexo poplite lectitare consueverat. S. Edmundus verò non nisi osculo priùs libato eadem aperire solebat. S. Cæcilia Sacrum Evangelii codicem perpetuò in pectore gestabat, ut suum erga verbum divinum affectum & reverentiam ostenderet. Sed & de Alphonso Aragonum Rege Panormitanus l. 2. de ejus gestis scribit, eum Sacrorum Bibliorum volumen integrum decies & quater perlegisse, idque etiam Commentariis illustratum, tam firmiter memoriæ impressisse, ut non modò res singulas probè teneret, sed etiam bene longas earum partes verbò tenus memoriter recitaret.

3. *Ex ipsorum etiam Iudaorum, qui in veteri Testamento primaria erant Ecclesiæ membra, testimonio:* qui, ut Balinghem l. c. testatur, nunquam nisi lotis manibus Sacra Biblia contingunt, & quoties ea aperiunt, aut claudunt, reverenter osculantur; nec in eo scamio sedent, in quo Biblia jacent; si verò ea in terram casu cadere contigerit, integro die à cibo abstinent.

## §. III.

## De necessitate S. Scripturæ.

Ut hæc necessitas, quæ non parùm conducit ad S. Scripturæ excellentiam demonstrandam, clariùs intelligatur, supponendum in primis est cum Salmerone proleg. i. non fuisse simpliciter necessariù, ut doctrinæ illæ, quæ in Bibliis de facto continentur, literis mandarètur, cum DEUS eam singulis, vel certè majoribus viva voce manifestare potuisset, sicut de facto à tempore Adami usque ad Moysen per spatium bis mille annorum & amplius Homines sine Scriptura Sacra vixerunt. Nihilominus tamèn rectè notat idem Author, quatuor ob causas moraliter necessariù fuisse, ut Scriptura Sacra à DEO nobis relinqueretur.

Primò, ut esset oblivionis medicamentum, & memoriæ auxiliium: cum enim post Moysis & Christi adventum innumera fidei Mysteria Hominibus communicata sint, meritò  
ad ea

ad ea capiendâ fragilis ac tenuis Hominum memoria miserabilis  
sufficiens credi poterat, atque adeò ipsam Scripturam vel  
non modicum memoriæ subsidium exigebat.

Secundò, ut doctrinis divinis firmior fides haberetur  
eùm quotidiana experientia doceat, magis quiescere intel-  
lectum, firmiùsque assentiri, si non simpliciter duntaxat  
aliquid referri audiat, sed publici etiam Notarii manu anno-  
tarum advertat.

Tertiò, ut major humilitatis, obedientiæ, fidei, ali-  
tùmque virtutum esset occasio; si ad alios recurrere, atque  
obscurarum Scripturarum explicationem emendicare cog-  
tentur Homines.

Quartò denique, ut, quia magnum fuisset pericul-  
ne, si doctrinæ sacræ cuius per revelationem propriam  
dix fuissent, per proprium amorem & sensum, Cæcitate  
námque fallaciam & astutiam seduceremur, infallibilis  
beretur regula, ad quam velut, Lydium lapidem Spiritus  
probarentur, omnesque doctrinæ, non secus ac conclusio-  
nes per sua principia demonstrarentur. Unde rectè hortatus  
est primos Christianos S. Petrus ep. 2. c. 1. dicens: *Habete  
firmiorem propheticum Sermonem, cui benè factis attendite  
res quasi lucerna lucenti in caliginoso loco, donec dies eluceat  
& lucifer oriatur in cordibus nostris.* Quod ipsum etiam  
firmans S. Chrysostomus in Psalm. 95. *si quid dicatur,  
quit, absque scriptura, Auditorum cognitio claudicat,  
annuens, nunc hæsitans, & interdum Sermonem ut frons  
aversans, interdum ut probabilem recipiens: Verùm ubi ex  
ptura divina vocis prodit testimonium, & loquentis sermo  
& audientis animum confirmat.*

Totam hanc de necessitate S. Scripturæ doctrinam  
phonus Salmeron l. 1. eleganti similitudine demon-  
strat, dum ait, Mundum, antequam Moyses, scriberet, fuisse  
similem Pueri, qui per ætatem necdum aptus est, ut ad Scholam  
iam mittatur, ideòque domi tantùm à Parentibus & Ne-  
ce per traditionem eruditur. A tempore Moysis verò  
similem Pueri ad scholas quidem cuncti, sed ob ætatem  
parvam capacitatem necdum satis intelligere valenti  
dicuntur. Post Christi adventum autem similem esse  
lescenti, quæ à Præceptoribus tradita sunt, et  
si ad

De Utilitate S. Scripturæ.

19

ardua, intelligere ac dijudicare valet, sed imperfectè & ex parte duntaxat; donec in altera vita evadat in virum perfectum, & nemine exterius docente, omnia per seipsum clarissimè in verbo divino cognoscat.

§. IV.

De Utilitate S. Scripturæ.

De hac utilitate in genere sapienter & verè discutit S. Augustinus l. 2. de doctr. Christ. cap. ult. dum dixit: *Quid quia homo extra didicerit, si noxium est, ibi damnatur: si utile est, ibi invenitur. Et cum ibi quisque invenit omnia, quæ utiliter alibi didicit, multò abundantius ibi inveniet ea, quæ nusquam omnino alibi, sed in illarum tantummodo Scripturarum mirabili altitudine, & mirabili humilitate discuntur.* In specie verò quatuor assignat utilitates S. Paulus 2. Tim. 3. dum ait: *Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo DEI ad omne opus bonum instructus.* Ad quas sanè utilitates velut radices & fontes aliarum omnes reliquæ revocari possunt, uti ex earum clariori explanatione mox subjicienda patebit.

Primò ergo ad docendum utilis dicitur S. Scriptura; quod usque adeò proprium est illi, ut meritò prima scientiarum dicatur, utpote quæ ipsi Theologiæ, scientiæ augustissimæ principia dicat, quibus Theologus suas demonstrationes, mentis ratiocinio velut Matre fetus novos gignat atque proliciat, quemadmodum Cornelius de Lapide in præf. c. 1. loquitur, ubi etiã addit, eum, qui Theologiam à S. Scripturæ commentatione divellere se posse putat, prolem sine Matre, domum sine fundamentis, & ad instar terræ pensilem, aqueductus sine scaturigine, segetem sine semine, conclusionem sine principiis, uti desultoria, ita delusoria levitate frustra sperare, & expectare, id quod authoritate S. Dionysii c. 1. de divin. nomin. probat, sic discurrentis: *Nulla ratione præsumendum est, aliquid de supersubstantiali, secretissimâque Deitate dicere aut cogitare, præter ea, quæ nobis sacra eloquia tradiderunt, nam suprema, divinâque scientia, ignorantis illius ipsi adscribenda, tantumque sui ad celsiora contendere,*  
quan-



quantum seipsum divinorum eloquiorum radius insinuare dignatur, cetera verò ut ineffabilia casto honoranda silentio. Et enim mens illa omnibus inaccessa substantiis, sed ab ea, quantum illi placet, porrecta manu, sacris literis subvehimur ad Sapientios illos fulgores hauriendos, atque ab his ad divinos hymnos dirigimur, & sacras laudationes effingimur. Quare non immeritò ob hanc utilitatem Antonius Balinghem c. 10. n. 1. præpar. ad loc. comm. S. Scripturam Soli comparat, eò quod sicut Sol Dux, & Princeps, & Moderator Luminum reliquorum tanta est magnitudine ac fulgore præditus, ut cuncta in lumine illustret, etiam eos, qui nobis stant obliqui seu ad versus; sic S. Scriptura suis doctrinis penetret omnia, & omnem partem se propaget, etiam ad ipsos ad versus nobis Antipodas.

Secundò ad arguendum quoque utilis est, id est, ad errores & hæreses convincendas; ob quam causam rectè à nonnullis illa Canticum c. 4. verba eidem applicantur: Sicut turris Davidis collum tuum, qua adificata est cum propugnaculis mille clypei pendent ex ea, & omnis armatura fortium. Verum enim, ut Justus Episcopus in Cant. ait, in hac Sancta Scriptura omnis armatura fortium reperitur, ex qua vel contra Diabolum, vel contra Ministros eius fortiter repugnatur; nam ipse Dominus, cum in deserto tentaretur, ex hac turri armaturam produxit, cum eum prolati ex S. Scriptura testimoniis circumvenientes, ut supra vidimus, hæc Scriptura in medio statueretur, ut indicaretur, hoc esse armamentarium, ex quo Patres ejusdem Concilii, qui velut Sexaginta fortissimi Ecclesie, tanquam lectulum Salomonis cœlestis, id est, Christi circumdant, & protegunt, arma ad hæreses profligandas essent prompturi. Sed & S. Paulus id ipsum confirmavit, quando Christianos Milites instructurus Eph. 6. ex hoc armamentario arma desumpsit, dicens: Propterea accipite armamentum DEI, ut possitis resistere in die malo. & in omnibus perfestitate. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & loriceam iustitie, & calceati pedes in præparatione Evangelii, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo positus omnia nequissimi ignea extinguere: & galeam salutis assumite, & diem Spiritus, quod est Verbum DEI.

3. Ad corripiendum quoque, id est, peccata castiganda & corrigenda utilem esse S. Scripturam, præclare S. Chryostomus Conc. 3. de Lazaro docuit sequentibus verbis: *Magna adversus peccatum munitio est Scripturarum lectio; magnum præcipitium, profundum baratrum Scripturarum ignorantia, ea res vitam corruptam invexit, hoc sursum, deorsum miscuit omnia: omnium sanè medicinarum thesaurus divina Scriptura sunt, & si ve affectus sedare, si ve pecuniarum cupiditatem expellere, si ve fortem animum induere velimus, quam plurima hinc remedia invenire possumus. Imò vel ipsum aspectum S. Scripturæ plurimum valere ad infringendas Dæmonis vires, animumque à peccatis cohibendum, idem S. Pater affirmat; sic enim pergit in eadem concione: *Quemadmodum arma regalia reposita, etiam si nemo fuerit, qui possideat, tamen illi, qui habitant in adibus, ubi reposita sunt, multam præbent custodiam, ac tutamen, dum neque Latrones, neque parietum perforatores, neque alius quispiam Sceleratorum audes eam aggredi domum; sic ubicunque fuerint libri spirituales, illinc expellitur omnis vis diabolica, multiæque in habitantibus accedit consolatio. Quandoquidem ipse etiam per se librorum aspectus segniores nos reddit ad peccandum. Quod si peccaverimus, reversi domum, conspectis libris acrius nos redarguit conscientia, reddimurque remissiores ad eadem repetenda; si in sanctimonia persistimus, ex libris reddimur tutiores, firmioresque; Nam simul atque tetigit aliquis Evangelium, mox composuit suam ipsius mentem, & à rebus mundanis abduxit: idque ex ipso solo aspectu. Quod si accesserit diligens lectio, non aliter, quam in sacris aditis rebus divinis vacans anima sic repurgatur, meliorque redditur, DEO cum ipso per ipsas scripturas colloquente. Hinc & S. Hieronymus ad Nepotianum scripsit: *Ama lectionem scripturarum, & carnis vitia non amabis, miròque modo in te universa eius incendia extinguentur. Id quod reipsa S. Augustinus expertus est, ut quem vitiiis & luto carnis profundissime immersum, sola S. Scripturæ lectio extraxit, ut ipsemet l. 8. c. 12. Confess. fatetur. Ut adeò merito dixerit S. Isidorus l. 3. de summo bono: *Geminum confert donum lectio Sanctarum Scripturarum, si ve quia mentis intellectum erudit, seu quòd à mundi vanitatibus abstractum hominem ad amorem DEI perducit.****

Quartò denique ad erudiendum in iustitia, id est, ad virtutum perfectionem obtinendam, utilem esse S. Scripturam ingeniosè ostendit S. Gregorius, dum ho. 10. in Ezech. explicans illud Psalmi 103. *Extendens cœlum sicut pellem*, divinam Scripturam confert cum cœlesti corpore, quòd de cano- bis & Sol Sapientiæ, & Luna Scientiæ, & ex antiquis Patribus Stellæ exemplorum, & virtutum omnium luceant. Sed & Liranus id ipsam confirmat, dum illa verba Salomonis Prov. 31. de muliere sapiente prolata: *Stragulatam* (id est, variis coloribus intextam, ideòque intuentium aspectum mirificè pascentem) *fecit sibi*: S. Scripturæ applicat, atque eam sibi fecisse talem vestem, dum virtutum omnium & doctorum disciplinam tradit, atque ad ea magno studio hortatur. Nec horratur duntaxat, sed, ut Joannes Picus apud Balinghem c. 13. præpar. ad loc. comm. n. 10. ait, etiam cogit, & agit, vim infert; *Legis quidem*, inquit, *rudia verba, & asperitas, sed viva, sed animata, flamma, aculeata, ad irium spiritum penetrantia, hominem totum potestate mirabili transfremantia*. Quam quidem efficaciam citatus Balinghem ex- provenire censet, quòd DEI Verbum sit, atq; adeò ad DEUM pertineat, ut omnem sermoni suo perfectionem tribuat, est, non tantum auctoritatem & veritatem ad illustrandum intellectum, sed etiam efficaciam ad movendam voluntatem conferat, singularia scilicet auxilia legentium vel audientium animis largiendo, quibus ad eas virtutes, quas S. Scriptura proponit, & commendat, exereendas impellantur. Id quod Discipuli in Emaus euntes Luc. ult. sunt experti, dum expectationem S. Scripturæ à Christo audientes dixerunt: *Nonne hoc nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in scriptura, & aperiret nobis Scripturas?* Ut adeò considerando has virtutes meritò dixerit S. Augustinus epist. 2. *Ille huic doctor inimicus est animus, qui vel errando eam nescit esse salutariam, vel adit agrosando medicinam.*

## §. V.

## De Jucunditate S. Scripturæ.

Magnam inesse jucunditatem S. Scripturæ, suo jactantem testimonio S. David, S. Jeremias, & Jonathas summi Gentis Judaicæ Sacerdos confirmârunt, dum primus quidem

Pfal. 118. dixit: *Narraverunt mihi iniqui delectationes (vel, ut nostra habet versio, fabulationes ad delectandum compositas) sed non ut lex tua.* Alter verò Jeremias c. 15. de seipso testatur: *Inventi sunt sermones tui, & comedi eos, & factum est mihi verbum tuum in gaudium, & in letitiam cordis mei.* Tertius denique Jothas 1. Mach. 12. Spartiatis in hæc verba scripsit: Nos, cum nullo horum (præsidio scilicet aut foderi) habentes solatio sanctorum librorum, qui sunt in manibus nostris, maluimus mittere ad vos repotare fraternitatem & amicitiam. Oritur autem hæc jucunditas variis ex capitibus.

1. Ex ipsis libris sacris, utpote qui nihil aliud sunt, quam epistolæ aut eloquia DEI: de quibus proin merito S. David Psal. 118. dixit: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* Et S. Hieronymus ad Paulinum scribens, *Oro te, inquit, Frater carissimo, inter hæc (libros sacros) vivere, ista meditari, nihil aliud nosse, nihil querere, nonne tibi videtur iam his in terris cælestis Regni habitaculum?* Certè Robertus Rex ita Sacrarum Literarum lectione captus est, ut juratus Petrarchæ affirmavit, eas sibi cariores esse, quam ipsum Regnum; & si alterutro carendum fuisset, libentius diademate, quam factis libris cariturum fuisse.

2. Ex ipsa materia S. Scriptura: uti S. Ambrosius super supra citata verba Davidis: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua &c.* discurrens insinuat, dum ait: *Bene dulcia, quibus prædicatur remissio peccatorum, vita perennis, resurrectio defunctorum, quæ perpetue mortis & acerba amaritudinem temperant.* Idipsum S. Gregorius Nyssenus aliâ viâ confirmavit, dum Sacras Literas prato florido comparavit, quod mira pulcherrimorum & vernantium florum varietate mirificè tum oculos, tum animos spectantium recreat, cujus quidem tot flores sunt, quot sententiæ: tot areolæ, quot libri, ut adeò mirum non sit, S. Carolum Borromæum dixisse, non esse opus horto, suum enim hortum esse Biblia, in quibus summam ipse recreationem & voluptatem reperiret.

3. Ex sensuum in S. Scriptura repertorum diversitate: quam causam S. Gregorius l. 16. mor. c. 10. in illa verba Job: *Uinc super Omnipotentem deliciis affluere:* insinuat, dum ait: *Uinc super Omnipotentem deliciis affluere, est in amore illius, Scripturæ Sacre epulis satiari. In quibus nimirum verbis tot deliciis*

invenimus, quos ad profectum nostrum intelligentia diversitates accipimus, ut modo nuda nos pascat historia, modo sub tenebris litera velata medullitus nos reficiat allegoria, modo ad altum suspendat contemplatio in presentis vita tenebris iam de luminis aternitatis intermicans.

4. Ex spei, quam excitat, consolatione: quâ de causa Paulus Rom. 15. dixit: *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.* Sic certè de S. Paula S. Hieronymus in vita illius testatur, eam in omni quocunque simili similem sibi, lætâque extitisse, eò quòd semper aptis et Scriptura sententiis solari sese, confortarèque didicisset. adeò meritò P. Claudius Aquaviva Societatis nostræ Generalis in Instructione sua de formandis Concinatoribus scripturæ ait: *Si delectare sit animus, nihil usquam Verbo DEI & Scripturis Sacris est delectabilius, ideo quippe ait Propheta Ezechiel Dilexi mandata tua super aurum & topazion. Item quàm dicitur eia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo. Hanc vim habent ut vel nudè prolata delectent, præterquam quod historiarum varietas, qua inibi continetur, mirum in modum creat audientes; metaphora item & Psalmorum Poësis, & verba autem & Sententia Salomonis, similia quoque ac digna si apto ponantur loco ac tempore, sunt profectò, ut cum Scriptura loquar, tanquam mala aurea in lectis argenteis, ut auris aurea, & Margaritam fulgem.*

## §. VI.

## De Simplicitate S. Scripturæ.

Per simplicitatem hoc loco aliud nihil intelligitur, quàm vulgaris & inculti stili usurpatio; quo modo acceptam simplicitatem convenire S. Scripturæ, testantur imprimis Origenes, Clemens Alexandrinus, Lactantius & alii apud S. Augustinum c. 23. prolegom., ubi ajunt, Philosophos & Oratores Scripturam velut indifertam, nimumque vulgarem simplicem contempisse, eò quòd judicium de eadem in majestate sensuum, sed verborum tulerint vilitate. S. Augustinus l. 3. conf. c. 5. de se faretur: *Non, sicut quor, ita sensi, cum attendi ad illam scripturam, sed*

mihî indigna, quàm Tulliana digni aut compararem. Verùm hanc ipsam simplicitatem magno consilio, gravissimisque de causis à Scriptoribus Sacris, ipso Spiritu Sancto ad id movente, usurpata esse, passim ostendunt Interpretes S. Scripturæ. Ex omnibus tamen causis duas potissimum hoc loco afferre placet.

Prima est, ut per hanc simplicitatem tantò efficacius demonstraretur, S. Scripturam verè divinam, neque ab alio Authore, quàm Spiritu Sancto dictante profectam esse; nam, cum res emineatissimas, & quæ captum Hominis effugiunt, interdum proponat, nulla tamen argumenta, nullas rationes ad fidem faciendam producat, sed sola simplici earum narratione contenta non dubitet, se fidem apud omnes inventuram, evidentissimum sanè indicium præbet non Hominis, sed DEI loquentis; ut adeò rectè dixerit Salmeron proleg. 1. 3. S. Scripturam, quantò minus probat. tantò magis probare, & patefacere se esse divinam; & quò magis probat, eò minus probare, quia tunc se ad morem loquendi humanum artemperat.

Altera causa est, ut omnibus accessus ad S. Scripturam pateat, uti S. Aug. to. 3. in ep. ad Volusia. indicat, dum ait: *Modus dicendi, quo Sacra Scriptura contextitur, quàm omnibus accessibilis, quamvis paucissimis penetrabilis, ea, qua aperta continet, quasi Amicus familiaris sine fuce ad cor loquitur indoctorum aequè ac doctorum. Ea verò, qua in mysteriis occultat, nec ipsa superbo eloquio erigit, quò non audeat accedere mens tardiuscula, & inerudita, quasi pauper ad divitem, sed invitat omnes humili sermone, quos non solum manifestà pascat, sed etiam secretà exerceat veritate, hoc in promptis, quod reconditis habens.* Id ipsum confirmat Origenes l. 7. contra Celsum Epicureum, dum probat, simplicitatem & facilitatem stili à Sacris Scriptoribus fuisse adhibendam, quò eorum labor universis prodesset, plùsque utilitatis attulisse Mundo Christi gesta conscripserit simpliciter, quàm eloquentiam ornem Platonis.

Rectè tamen notat citatus Salmeron, altissimos interdum sensus cum tenuitate verborum misceri debuisse; tum ut divinitas quasi Humanitati unita clariùs elucesceret; tum ne, si tota facilè posset accedi, facilè quoque contemneretur. id

quod eloquenter more suo S. Augustinus ostendit, dum ait: Qui enim prorsus in Sacra Scriptura non inveniunt, quod querunt, fame laborant. Qui autem non querunt, quia in promptu habent, fastidio sepe marcescunt. In utroque autem languere cavendus est. Magnificè igitur & salubriter Spiritus Sanctus ita Scripturas Sanctas modificavit, ut locis apertioribus famulo occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret; nihil enim ferè de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissimè dictum alià reperiatur.

## §. VII.

## De Eloquentia S. Scripturæ.

Duplicem communiter distinguunt Eloquentiam Authores hac de materia discurrentes, veram scilicet, & falsam se apparentem duntaxat. Vera Eloquentia est, quæ re ipsa apta ad persuadendum verbis & argumentis utitur. Falsa est, quæ varia Orationis ornamenta & lumina adhibet, idèoque Oratoribus & Scriptoribus prophanis inquiritur, & laudatur. Verùm hæc nisi priorem eloquentiam conjunctam habeat veræ Eloquentiæ nomen non meretur; nam, ut rectè Tullius de opt. gener. Orat. dixit, ad veram eloquentiam nec Asiaticè, nec Ciceronis aut Demosthenis, aut Platonicis, aut Periclis imitatione, sed optimè dicendum est, quod quidem is præstat, qui cæteris Hominum dicendo tenet: quod eorum voluntates, quò vult, flectit, quocunque tandem dicendi genere aut caractere utatur.

Hoc notato rectè Commentatores S. Scripturæ affirmant Veram, Summàmque in S. Scriptura eloquentiam reperiri. Sic enim primò, S. Augustinus testatur l. 4. de doctr. Chri. c. 6. dum ait: Hic aliquis forsitan querit, utrum Authores Scripturæ, quorum scripta divinitus inspirata, Canonem nobis habentissimè auctoritate fecerunt, sapientes tantummodo, an etiam quædam etiam nuncupandi sint. Quæ quidem questio apud ipsos, & eos, qui mecum, quod dico, sentiunt, facilissimè solvitur. Nam, ubi eos intelligo, non solum nihil eis sapientius, sed etiam nihil eloquentius mihi videri potest. Et audeo dicere, omnes, qui rectè intelligunt, quod illi loquuntur, simul intelligere, non eos, aliter loqui debuisse; sicut enim est quadam

quentia, qua magis aetatem iuvenilem decet; est, qua senilem, nec iam est dicenda eloquentia, si Persona non congruat eloquentia; ita est quadam, qua viros summam auctoritate dignissimas, planèque divinos decet. Hæc illi locuti sunt, nec ipsos decet alia, nec alios ipsa; ipsis enim congruit; alios autem, quando videtur humilior, tanto altius non ventositate, sed soliditate transcendit. Vbi verò non eos intelligo, minus quidem mihi apparet eorum eloquentia, sed eam tamen non dubito esse talem, qualis est, ubi intelligo. Sed & S. Bonaventura id ipsum affirmavit, dum dixit: *Qui scripturam habet, potens est cum eloquiis, & oriam in venusto sermone.* Sed & secundò, ex ipsa experientia satis colligitur, quæ habetur, eam ad finem sibi propositum consequendum singularem efficaciam habere; cum enim id unice spectet, ut DEVS ab Hominebus per fidem cognoscatur, & per Caritatem aliâque virtutes perfecte ac super omnia ametur, quotidiana sanè experientia ostendit, quàm plurimos ab ea ad similia erga DEVM officia exercenda persuasos fuisse, & etiamnum persuaderi.

Quòd si tamen & altera à prophanis Oratoribus tantopere commendata eloquentia requiratur, oriam illam S. Scripturæ non deesse, sufficiens argumentum præbere possunt tum S. Isaia prophetiæ, tum S. Pauli Epistolæ, de quorum prioribus Sanchez in præf. in Isaiam n. 13. ait: *Talis est eius dicendi character, tum verum, qua tractantur, natura, qua sanè multiplex est, accommodata, in quo optimi Oratoris ars & præstantia cognoscitur, ut, qui præstantem Oratorem non tam inveniebat, quàm cogitatione formabat Cicero, talem cogitatione non fingeret, qualem re ipsa præstitit Isaias, ut qui si latine vel græcè scripsisset, omnium Græcorum vel Latinorum gloriam obscurasset.* De Epistolis S. Pauli verò S. Chrysostomus testatur, cum, qui res singulas, atque adeò voces & earum pondus; qui insignem dicendi methodum, artificiumque singulare; qui probandi genus efficax, cæteraque ejus generis expendit, facile deprehensurum, omnes omnino perfecti Oratoris numeros luculentè ab eo fuisse expletos; ita ut merito S. Hieronymus in Epist. ad Pammach. dixerit, se, quotiescunque legeret ejus Epistolas, non tam verba, quàm tonitrua audire sibi videri. Hinc, S. Gregorius Nazianzenus, teste Badæo profano Scriptore, cum post multam ac di-



utinam operam Eloquentiæ ac Poësi profanæ impensam, animum ad sacras literas volendas adiecisset, illico omnium literarum aliarum ornamenta in conspectum Domini abiecit, eò quòd cognovisset, S. Scripturam, omnem haud dubio elocutionis humanæ vincere, & quamlibet, licet innumeras figuris distinctam, & multiplici eloquio elaboratam orationem, tamen præ divini sermonis fulgore obscurari atque languescere.

## §. VIII.

## De Profunditate S. Scripturæ.

Etsi aliqui videantur confundere profunditatem cum obscuritate, & pro eodem sumere, reverà tamen sunt vel maxime distinctæ, nam obscurum dicitur, quod à luce remotum est; profundum verò vocatur, quod fundum magis vel minus remotum habet. Unde inter scientias quoque illa profundior dicitur, quæ difficilius ob doctrinarum à se propositarum multitudinem ab intellectu exhauritur. Hoc ratio negari non potest summam esse S. Scripturæ profunditatem; sic enim jam pridem cognovit S. Augustinus, in epistola dixit: *Tanta est Christianarum profunditas literarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia que ad decrepitam senectutem, maximo otio, summo studio, labore ingenio conarer addiscere, non quòd ad ea, quæ necessaria sunt salutis, tanta perveniatur difficultate, sed, cùm quisquam fidem tenuerit, sine qua piè, rectèque non vivitur, tam multa tamque multiplicibus mysteriorum miraculis opaca, intelligenda proficientibus restant, tantæque non solum in verbis, quæ ista dicta sunt, verùm etiam in rebus, quæ intelligenda sunt, et altitudo sapientiæ, ut annosissimis, acutissimis, flagrantissimisque cupiditate discendi, hoc contingat, quod eadem scriptura quodam loco habet: Cùm consummaverit homo, tunc accipiet. Certè ipse de se fatetur epist. 119. Ego in Sacris Scripturis multò plura nescio, quàm scio. Hinc exclamavit I. 12. c. 14. *Mira profunditas est eloquiorum tuorum, Domine, ecce ante nos superficies blandiens parvulis, sed mira profunditas DEVS meus, mira profunditas, horror est intendere eam, horror honoris, & tremor amoris.* Quin imò S. Gregorius*

rius ho. 9. super Ezech. indicat, tot tamque abdita in Sacris Literis latere mysteria, ut in iis non pauca existant. quæ solis evoluta Cœlitibus, mortalibus adhuc universis sint involuta, hinc similem aliqui S. Scripturam dicunt esse torrenti ab Ezechiele c. 47. conspecto, quem pertransire ipse non poterat, quoniam intumuerant aquæ ejus, nec poterant transvadari.

Porro hujus profunditatis tres potissimum radices à Commentatoribus rectè assignantur. Prima est *ipsius materia sublimitas*, id est, mysteriorum & doctrinarum supernaturalium multitudo & magnitudo; si enim etiam in naturalibus, teste Salomone Eccl. 1. cunctæ res sunt difficiles, & non potest eas homo explicare sermone; quanto minùs supernaturalia objecta intellectu comprehendere poterit. Hinc meritò idem Sapiens Sap. 9. dixit: *Difficile estimamus, quæ in terra sunt, & quæ in conspectu sunt, invenimus cum labore, quæ autem in cœlis sunt, quis investigabit?*

Alter radix est *sensuum*, quos litera accipere potest, *multiplicitas*: nam, ut S. Hieronymus in c. 3. Ephes. dixit, *Singuli sermones, syllaba, apices & puncta in divinis Scripturis plena sunt sensibus.* Sed & Origenes hom. 1. in Exod. testatur, quemlibet Sacræ Scripturæ locum, si diligenter excutiat, ingentem doctrinæ materiam posse suppeditare. *Vnde divina eloquia* (ait S. Gregorius ho. 7. super Ezech.) *tantò quisque altius intelligit, quantò altius in eis intendit.*

Tertia tandem radix est *Prophetiarum in S. Literis contentarum multitudo, & profunditas*: hæ enim cum vel maximè sint extra Sphæram humani intellectus, meritò etiam tantò plura semper latere suspicatur, quantò plura per aliorum explanationem vel interpretationem cognoverit. Ob quæ causas meritò Alphonsus Salmeron pronunciavit proleg. 2. in Script., nullum extare librum humanâ industriâ aut ingenio elaboratum, qui cum Sacris Literis in profunditate conferri possit.

## §. IX.

## De Obscuritate S. Scripturæ.

De hac proprietate S. Scripturæ multa & gravis est inter Catholicos & hæreticos Doctores concertatio; his omnem

omnino obscuritatem S. Scripturæ negantibus, illis verò eadem non modò concedentibus, sed graves etiam, multasque causas afferentibus, ob quas Sapientissimus DEVS ipsam obscuro stilo, non quidem totam, sed magna ex parte conscribere voluerit; unde Cassianus coll. 8. c. 3. hæc de materiâ discurrens, satis propriè, ait, *Scriptura divina agro optimo ac fertilissimo comparatur, qui, cum multa gignat, ac proferat, quæ ad hominum victum sine aliqua ignis coctione proficiant, quædam, ut prius flamma calore mitigata atque mollita, omnem asperitatem suam disposuerunt crudelitatis, vel incongrua erunt usus humanis, vel noxia. Nonnulla verò ita in utrumque apta nascuntur, ut nec incocta sua eruditione displiceant, vel offendant, & tamen ignis calore lenita, salubriora reddantur. Quam rationem manifestè evidentè aspicimus in hoc uberrimo Scripturarum Spirituali Paradiso contineri, in quo ita quædam signatione litera planè ac luculenta resplendent, ut, cum sublimiore interpretatione utantur, simplici tamen litera sono aliunde pascant, ac nutritæ audientem. Quædam autem, si allegoria explanatione extensa non fuerint, & spiritualis ignis examinatione mollita, modo ad salutarem interioris hominis cibum sine corruptione labæ perveniunt, magisque ex eorum perceptione læsio, quàm utilitas aliqua subsequatur. Nonnulla verò ad utramque perceptionem, id est, historicam & allegoricam ita commoda sunt, & necessaria, ut utraq; explanatio vitales animæ succos impertiat.*

Porro obscuritatis hujus radices & argumenta certissima plurima afferunt S. Scripturæ Interpretes, quæ tamen omnia ad tria potissimum revocari possunt. Primum deducitur ex ipsa materiâ S. Scripturæ, seu rebus per eam significatis, quales sunt mysteria altissima Fidei, futurorum prædictiones mysticorumque ac literalium sensuum varietas ac multiplicitas; quæ omnia objecta non modicam obscuritatem in se habent, vel ipsa tot SS. Patrum, aliorumque Doctorum in interpretandis & explicandis sollicitudo ac industria satis probat.

Alterum argumentum deducitur ex eorum, quibus S. Scriptura communicata est, diversitate; cum enim eorum major pars rudis sit, atque adeò incapax altiorum mysteriorum percipiendorum, rectè iterum concluditur, respectu horum omnium S. Scripturam utpote ejusmodi mysteriis ac prophetiis

abundantem, obscuram esse, atque adeò doctiorum Hominum labore ac industria excutiendam atque explicandam.

Tertium verò, nec levissimum argumentum desumitur ex ipso modo proponendi & loquendi S. Scriptura; cum enim hæc passim allegoriis, figuratis locutionibus, amphibologiis, & non rarò etiam verbis apparentem contradictionem involventibus, uti & idiotismis linguarum utatur, necessariò iterum sequitur, ut magnam tales modi loquendi obscuritatem, à quocunque intellectu humano, non nisi magnò labore ac difficultate superabilem contineant; unde passim SS. Patres S. Scripturam, nunc abyssum insuperabilem; nunc agrum, in quo Sapientiæ thesaurus profundâ fossione eruendus lateat; nunc mare ob sensuum profunditatem inexhaustibile; nunc conchylium, in quo Margaritæ pulcherrimarum doctrinarum reclusæ manent, nunc nubem obscuram, & variorum mysteriorum occultatione prægnantem appellant, uti pluribus probat Serarius c. 22. proleg. q. 2.

Cur autem DEVS obscuram esse voluerit Scripturam Sacram, variæ à variis rationes afferuntur. 1. Ut agnoscamus, & confiteamur, Sapienciam DEI infinitis modis superare imbecillitatem nostri intellectûs, sicque ad eum ferventius pro illustratione intellectûs, & apertione occultorum sensuum recurramus, dicentes cum Davide Psal. 118. *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam.* 2. Ut ex tali obscuritate multiplex oriatur scientia, dum varii sensus ex obscuris S. Scripturæ textibus eruuntur; sic enim S. Gregorius in cap. 3. Ezech. indicavit, dum dixit: *Plerumque in sacro eloquio aliquid ideo obscure dicitur, ut dispensante mirabiliter DEO multipliciter exponatur.* 3. Ut obscura scribendi ratione mysteria divina indignis celarentur. 4. Ut doctrinæ cum labore quæsitæ majori cum voluptate percipiantur; nam, ut S. Augustinus de vera relig. discurret: *Si in Scriptura Sacra tantum essent, qua facillimè intelligerentur, nec studiosè quareretur, nec suaviter inveniretur veritas.* 5. Ut, quemadmodum S. Chrysostomus hom. 23. in Matt. insinuat, sicut inter Angelos sunt aliqui, qui illuminant; & alii, qui illuminantur; ita inter Homines quoque alii Doctores, alii Discipuli extiterent, sicque pulcherrimus Ordo in Ecclesia inconfusus & imperurbatus permaneret. 6. Ut, sicut S. Augustinus l. 2. de doct.

de doct. Christian. c. 6. insinuavit, ut labore quidem superbia edomaretur, otioque proscribendo, honestæ occupatio- nis occasio subministraretur, intellectus verò à fastidio vocaretur, cui facillè investigata plerumque vilescunt. *Magnificè igitur & salubriter, inquit S. Doctor, ita Sacras Scrip- turas modificavit DEVS, ut locis aperrioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastigia detergeret; nihil enim de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissimè diuinum reperiatur.*

## LIBER II.

DE OBJECTO FORMALI  
THEOLOGIÆ POSITIVÆ.

**O**bjectum formale Theologiæ positivæ est ipsa Interpretatio seu Expositio S. Scripturæ, hæc enim Interpretatio est primarius finis, quem intendit Theologia positiva, & ad hunc finem ordinat omnia, quæ abstrahuntur, & præscribi solent. Ut autem facilius intelligatur hoc objectum, sciendum est duplicem esse Interpretationem, quæ à Doctoribus Theologiæ positivæ adhiberi soluevit, Metabolicam scilicet, & Exegeticam. Metabolica est, per quam S. Scriptura ex primigenia lingua in aliam transfertur, quæque adeò latinè *Translatio* seu *compositio* appellatur. Exegetica est, per quam sensus in S. Scriptura absconditi eruuntur, ideòque *Explanatio* vel *explicatio* vocatur, & propriè à Commentatoribus S. Scripturæ appellari solet. De utraque hoc libro per duo capita agetur, quid de quavis Discipulo Theologiæ positivæ sciendum breviter juxta propositum scopum exponetur.

## CAPUT I.

DE METABOLICA INTERPRETATIONE  
SEU VERSIONE.

**E**tiam hæc Interpretatio dupliciter fieri potest, vel ut verbum verbo reddatur; vel ut sensus solo modo idem, non autem eadem verba, aut verborum

ordo retinentur. Atque hic posterior, sicut naturæ & scopo Interpretationis conformior est, ita communius etiam à Scriptoribus adhiberi soletur, & verò etiam in S. Scripturæ Versionibus plerumque est usurpatus; pro quo melius intelligendo.

Uterius notandum, est Sex potissimum esse linguas, quæ in considerationem specialem apud S. Scripturæ Interpretes veniunt. 1. est pura Hebraica, quia Judæi ante captivitatem Babylonicam sunt usi. 2. Chaldaica pura, quia Chaldæi Asiæ Populi à Chaldæa regione, in qua Babylon civitas illa magna jacebat, nominatim utebantur. 3. Syriaca, quæ Judæi post transmigrationem Babylonicam locuti sunt. 4. Græca. 5. Latina. 6. Vernacula, de quibus omnibus eodem ferè ordine breviter nunc agendum, & quænam cujusque versionis sit auctoritas, ostendendum erit.

## §. I

## De Hebraica editione S. Scripturæ.

Hæc editio meritò inter reliquas primatum obtinet, eum in ea plerique libri S. Scripturæ ab initio sint scripti, maximè ij, qui in canone Judæorum habentur, nempe Pentateuchus Moysis libri, Iosue, Iudicium, Ruth, Regum, Paralipomenon, Iob, Psalmorum, Proverbiornm, Ecclesiastici, Canticorum, Prophetarum; quibus aliqui etiam extra hunc Canonem librum Estheris ex Veteri, & ex novo Testamento Evangelium S. Matthæi, & Epistolam ad Hebræos addunt. Duæ tamen adhuc de ista editione controversiæ inter Authores existunt, an scilicet omnino interierit, vel serè magna ex parte corrupta sit.

Circa priorem quæstionem duæ sunt sententiæ. Prima est S. Basilij apud Bellarminum to. 1. Contr. gen. 1. l. 2. cap. 1. qui putavit, universam S. Scripturam tempore Captivitatis Babylonicæ periisse, ac deinde ab Esda ex Spiritu Sancti instinctu & magisterio integrè, sicut antea fuerat, fuisse reparatam. Altera communis sententia ipsius Bellarmini & aliorum docet, non fuisse omnino unquam deperditam, sed dispersam duntaxat, atque ad eò ab Esdra ite-

rum collectam, & in unum corpus reductam; imò & in  
partibus, quæ Scribarum negligentia depravata fuerant,  
studiosè iterum emendatam; quam sententiam Bellarminus,  
multorum SS. PP. auctoritate probat, additque vel  
ideo etiam probabiliorem esse quòd Esdras post transla-  
tationem Babylonicam Chaldaicè aut Syriacè, utpotè  
linguâ tunc Iudæis usitata locutus sit, atque adeò si de  
novo S. Scripturam dictasset, his potius linguis, quàm He-  
braicâ purâ illum dictaturus fuisset.

Circa posteriorem quæstionem tres sunt diversæ opi-  
niones; quarum prima Hæreticorum & Iudæorum vel  
omnino incorruptam mansisse; quæ tamen sententia ab o-  
mnibus Catholicis Scriptoribus ut falsa ex varijs erroribus  
qui vel per in curiam Scriptorum, vel per imperitiam lin-  
guæ irreperunt, convincitur.

Altera est Jacobi Episcopi Christopolitani qui apud Be-  
llarminum docet multa loca S. Scripturæ à Iudæis in odium  
fidei Christianæ fuisse depravata, quæ tamen opinio  
riter rejicitur à reliquis Catholicis Scriptoribus, eò quòd  
incredibilis Iudæorum erga S. Scripturam amor & re-  
verentia prudenter judicare non sinat, eos legem suam, pro  
quâ millies mori parati sunt, immutare voluisse; alioquin  
fanè vel maximè ijs in locis, in quibus de Christo agitur,  
eandem vitiaissent; imò ut Bellarminus ait, DEUS  
hunc finem Iudæos per totum terrarum orbem dispersit  
ut libros legis & Prophetarum circumferrent, & ut inimici  
nostri Christianæ veritati testimonium præberent. Te-  
stis ergo & verior omnium aliorum sententia; concedit quod  
idem aliquot loca saltem quingentis post Christum nam  
annis elapsis ab Hebræis fuisse corrupta uti passim Serarius  
Salmeron & alij ostendunt, eam tamen mutationem tam  
non æstimandam, ut non *moraliter* incorruptus adhuc  
textus ille dici queat cum Seraris prol. c. 12. n. 7. ait. in alijs  
quibus, saltem exemplaribus vera adhuc germanaque  
editio incorrupta reperiatur, atque adeò editio hæc multum  
lucem afferre possit S. Scripturæ Interpretibus, licet ali-  
quatenus cavendum sit, ne temerè quidquam ex illa editio-  
ne contra vulgatam editionem ab Ecclesia approbandam  
mutetur.

De Chaldaica editione.

De hac editione tria breviter ex Bellarmino, Serario & alijs notanda sunt.

1. Hanc linguam Chaldaicam primitus scriptos esse sequentes S. Scripturæ libros, Tobiam, Iudith, & ex parte libros Esdræ, & Danielis Prophetiam; eò quòd hi libri post captivitatem Babylonicam, ubi Judæi jam Chaldaicè loqui cœperunt, sint conscripti.

2. Extrare quoque paraphrasin Chaldaicam in omnes S. Scripturæ libros in Judæorum Canone contentos, atque ab illis Thargum quod idem ac Interpretatio significat, fuisse appellatos; hanc verò paraphrasin partim ab Aquila (qui Chaldaicè Onchelos vocatur) partim à Ionatha quodam, & Josepho cæco compositos fuisse.

3. Hanc editionem apud Hebræos quidem magnæ esse authoritatis, ab Ecclesia tamen non magni fieri, utpote in multis locis, extra Pentateuchum, Judaicis fabulis & Thalmudistarum nugis permixtam; atque adeò eatenus tantum utilem esse, quatenus ex ea Hebræi falsitates convinci possunt.

§. III.

De Syriaca Editione.

De hac quoque editione tria specialiter notanda esse, docet Bellarminus. l. 2. c. 4. contr. gen.

1. Quòd Syriaca lingua sit quasi proles Hebraicæ & Chaldaicæ linguæ, eò quòd Hebræi in Babyloniam abducti, paulatim linguæ suæ oblivisci, & Chaldaicè loqui cœperint; quia tamen perfectè hanc linguam Chaldaicam non didicerunt, sed semper eidem verba Hebraica miscuerunt, hinc tertia quædam lingua prodijt, quæ, quia in Syria maxime usurpabatur, Syriaca, aut etiam à præcipua civitate Hebræorum Hierosolymitana vocari cœpit.

2. Hanc linguam ex veteri testamento nullum librum, nisi fortè primum Machabæorum & Ecclesiasticum; ex novo vero



verò credibiliter Evangelium S. Matthæi, & Epistolam ad Hebræos, quia tunc, quando hi libri scripti erant, in Syriacè loquebantur Hebræi, conscriptos esse.

3. Hujus editionis non tantam quidem esse auctoritatem, quanta Latinæ & Græcæ conceditur, eò quòd ob varios naves meritò viris doctis displiceat, duplicem tamen teste Menochio c. 16. proleg. utilitatem afferre, quòd scilicet & nostram vulgatam in multis stabiliat, & illustrat, & quòd adjunctos habeat titulos & inscriptiones variis quibus significatur, quid in novo Testamento in hujusmodi illius Sancti festo, in veneratione Crucis, quadragesimæ, jejunij alijs, commemoratione Fidelium Defunctorum legi soleat, atque adeò ad Ecclesiæ ritus stabiliendos, consensionemque cum Romana Ecclesia ostendendam, contra Hæreticos juvet.

## §. IV.

## De Græca Editione.

Duplicis generis libri sacri hanc Græcâ linguâ sunt conscripti. Primò enim Originaliter totum novum Testamentum, exceptis Evangelij S. Matthæi, & S. Marci, & Epistolâ S. Pauli ad Hebræos. ab ijs Apostolis vel Evangelistis, quorum titulus præfigitur, est græco idiomate conscriptum; cujus editionis, etsi aliquot in locis a Hæreticorum corrupta sit, ea tamen est adhuc auctoritas, ut ejus usus multum servire possit ad ambiguitates tollendas, & multorum locorum energiam melius assequendam, nimirum Latinæ linguæ inopia Græcæ fecunditatem præ se non potuit.

Secundò dein omnes libri Hebræico aut Syriacè conscripti, pariter in Græcum idioma translata à varijs scriptoribus, puta Aquila, Symmacho, Theodotione, Origene, S. Luciano, Hesychio & alijs, quos tamen omnes, uti ordine, ita & auctoritate septuaginta Interpretes sua translatione antecesserunt, qui, teste Menochio c. 16. Bellarmino & alijs, à Prolemæo Philadelpho in Aegypto sunt evocati; cum enim hic Rex locupletissimam Bibliothecam instruxisset, & in hac etiam Judæorum

facros habere desiderasset, ab Eleazaro Pontifice septuaginta duos viros è senioribus Populi, legis, & linguarum Græcæ & Hebraicæ peritissimos, senos ex qualibet tribu impetravit, qui in eadem Basilica, vel, ut alij volunt, singuli in singulis cellulis inclusi, intra septuaginta duos dies totum verus Testamentum ita verterunt, ut omnes planè ad verbum consentientes divino quodam miraculo sint reperi; unde manifestè colligitur, eos peculiari modo Spiritum Sanctum assistentem habuisse, &, ut Bellarminus l. 2. c. 6. ait, non tam Interpretes, quàm Prophetas fuisse. Ob quam causam etiam hæc versio non modò ab Apostolis & Evangelistis frequenter citata, sed ab ipsa etiam Ecclesia Græca semper, ab universali verò Ecclesia totis sexcentis annis pro authentica & vulgata est habita, habereturque etiamnum, si non quorundam Judæorum vitio corrupta fuisset. Licet autem senarius numerus, juxta quam è singulis tribubus evocati sunt, duodecies multiplicatus septuaginta duos fuisse ostendat, brevitatis tamen & rotunditatis gratiâ, inquit Serarius c. 17. q. 7. prol. dicuntur tantum septuaginta fuisse, sicut apud Romanos olim Centumviri vocabantur, licet centum & quinque fuisse constet.

Porro ex his editionibus, aliisque collectis Origines unum librum sic composuit, ut singulas paginas in sex columnas divideret, & in prima quidem textum Hebraicum Hebraicis literis, in secunda eundem textum Hebraicum Græcis literis, in tertia interpretationem Aquilæ, in quarta Symmachi, in quinta Septuaginta Seniorum, in Sexta Theodotionis interpretationem posuerit, atque hæc volumina propter quatuor interpretationes tetrapla, propter sex columnas verò hexapla vocârit; & tandem postquam adhuc binas alias editiones in diversis columnis addidisset, octapla nomina verit.

§. V.

De Latina Editione.

Quàm frequenter S. Scriptura ex Hebræo & Græco idiomate in Latinum sit conversa, testatur S. Augustinus l. 2. de doctr. Christ. c. 11. dum ait, nullo modo eas numerari posse, eo quod

C

eò quòd primis temporibus quivis, qui aliquam utriusque  
linguæ Hebraicæ scilicet & Græcæ notitiam habere videtur  
tur, eandem interpretari sit ausus. Unde & S. Hieronymus  
in præfat. in Josue, quot Codices, tot versiones ferè fuisse  
repertas testatur. Ex his tamen una communior erat, quæ  
vetus, vulgata, & Itala à S. Augustino l. 2. de doctr. Chri-  
c. 15. & aliis vocabatur, & tandiu usurpabatur, donec  
Hieronymus, & post ipsum alii manum applicuere, novam  
que interpretationem cudere; tunc enim & ista passim  
Ecclesiis legi cum Itala Interpretatione cœpit, usque ad  
Gregorii Magni tempora, tunc namque adeò usus hujus  
valescere cœpit, ut reliquæ profus evanuerint; & ipsa  
dem ob graves causas ab Ecclesia authenticata, & velut  
delicæ sincera præ omnibus aliis Latinis editionibus  
panda est proposita. Quæ proin ut meliùs intelligatur  
plerumque quæstiones de illa proponunt Commentatores,  
nempe quis sit Author illius? & cur omnibus aliis præ-  
ta sit?

Ad quarum quæstionum priorem communius respici-  
dent Interpretes, plerosque veteris Testamenti libros  
Hieronymo fuisse translatos, uti ipsemet in fine libri de  
ecclesiasticis Scriptoribus faterur, & idem etiam S. Augustinus  
l. 18. de civ. c. 43. testatur, dum ait: *Non desuit temporibus  
nostris Presbyter Hieronymus, homo doctissimus, & omnium  
linguarum peritissimus, qui non ex Græco, sed ex Hebraico  
Latinum eloquium easdem converterit.* Ab his tamen  
excipiendos esse librum Sapientiæ, Ecclesiastici, Machabæ-  
rum, Baruch, & epistolam Jeremiæ, putant Bellarminus,  
Serarius, Menochius & alii, eò quòd nunquam à se  
latos meminere, uti tamen de aliis dixerat; & probabile  
eos Canonicos non putàrit, aut certè Hebraicos non in-  
rit. Psalmos verò etsi transfulerit, hæc tamen translatio  
Ecclesia recepta non fuit, quod ideo fortè factum putat  
Menochius c. 17. proleg. eò quòd Fideles Septuaginta In-  
pretum translationi jam asuevissent, atque adeò durum  
isset novam S. Hieronymi translationem inducere.

Jam verò novi Testamenti Interpretationem quòd  
net, hoc unicum constat, Evangelium S. Marci ab ipso  
Evangelista fuisse Latino idiomate scriptum, reliqua

verò Interpretationem statim ab initio Ecclesiæ fuisse factam, & verosimiliter ab ipsis etiam Apostolis probatam; quis tamen hujus Interpretationis Author fuerit, hucusque semper ignoratum fuit. Quia tamen aliquot errores in eandem irreperant, ab his eam D. Hieronymus Damasus Pontificis Autoritate purgavit, uti ipse in fine libri de Eccl. Script. fatetur, dum ait: *Testamentum novum Græca fidei reddidi, verus iuxta Hebraicum transtuli.*

Ad posteriorem quæstionem respondent iterum unanimiter Authores, summam hujus vulgatæ editionis auctoritatem esse debere, idque ob tres potissimum causas. 1. Quia antiqua, & multorum sæculorum usu in Ecclesia usurpata est. 2. Quia D. Hieronymus linguæ Hebræicæ peritissimus, peritè, & tanquam sanctissimus fideliter, & ut laborum & literarum amantissimus diligenter interpretatus, atque ut dubitare non licet, divino auxilio ad opus perficiendum peculiariter adjutus est. 3. Et præcipuè quia S. Concilium Tridentinum Sess. 4. Sequenti decreto eam tenendum proposuit: *Insuper eadem Sacra Synodus considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ DEI, si ex omnibus Latinis editionibus, quæ circumferuntur Latinorum librorum, quam pro authentica habenda sit, innotescat. statuit, & declarat, ut hac ipsa vetus & vulgata editio, quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis Lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus pro authentica habeatur, & ut nemo eam reiicere quovis prætextu audeat, vel presumat. Re- Et tamen monet Menochius c. 18. per hoc decretum nullâ ratione vulgatam hanc editionem fontibus Hebræis & Græcis anteponi (cùm Concilium nullam comparationem faciat) nec verò etiam, si puri sint, anteponi posse, cùm eundem Authorem habeant; de facto tamen; ut nunc res se habent, pluris, quàm illos à nobis faciendos esse, eò quòd rivus purus & minimè turbatus fonti turbato & impuro prouenter anteponi possit, & debeat.*

## §. VI.

## De Vernacula editione.

Vernaculæ versiones hoc loco vocantur illæ, quæ in vernaculas seu maternas & vulgares linguas fiunt. Unde præ-

præter Hebræam, Græcam, & Latinam, quæ, quia à Sacro Christi crucifixi titulo sacratæ sunt, sacræ appellantur, omnes aliæ linguæ, atque aded editiones quoque illis linguæ factæ, vernaculæ dicuntur.

Porro de hæc vernacula editione sequentia præcipue notanda sunt ex Serario c. 20. prol. & aliis. 1. S. Scripturæ in vernaculas linguas transferre, & legere per se non esse prohibitum aut illicitum; cum nulla habeatur lex ejusmodi lectionem aut translationem prohibens. 2. Eandem lectionem aliquibus prodesse, aliquibus obesse; uti quotidiana experientia abunde probat, quâ habetur, multos S. Scripturam cum insigni profectu animæ legisse; plurimos hæreseon & superstitionum venenum ex ea hausisse.

Atque aded 3. meritò Ecclesiam statuisse, quibus & quomodo concessa vel inconcessa sint vernaculo idiomate scripta Biblia, utpotè quæ & potestate & prudentia præcipue polleat ad hoc judicium ferendum, atque hoc relinquere generalibus cujusque Dioceseos Pastoribus, ut cum Parochorum, aliorumque Pastorum arbitrio dispiciant, quibus quomodo modi facultas concedenda sit.

## CAPUT II.

### DE EXEGETICA INTERPRETATIONE.

Cum exegetica Interpretatio aliud nihil sit, ut supra dictum est, quàm sensus, quem S. Scriptura significat, dicario, ante omnia explicandum hoc loco est, quid, & quæ sit duplex sensus. Deinde, quis modus in ejusmodi sensu vestigando sit usurpandus. Et denique quæ media ad verum S. Scripturæ sensum seu intelligentiam inveniendam sint obtinenda, quæ omnia per sequentes paragraphos planabuntur.

#### §. I.

#### Quid & quotuplex sit sensus.

Etsi hæc vox *sensus* ex prima sua significatione cuiusque que sensus facultatem denotet; ad animi verò conceptum suo

dicandos vox *sententia* à veteribus fit inventa, nunc tamen passim etiam vox *sensus* ad mentis conceptus indicandos usurpatur, unde Apostolus Rom. 14. ait: *Vnusquisque in suo sensu, id est, Sententia, abundet.*

Porro duplex communiter sensus assignatur S. Scripturæ, *literals* scilicet & *Mysticus*. *Literalis* est, quem verba, sive proprie, sive Metaphoricè accepta, ex Spiritus Sancti loquentis intentione primò & immediatè significant, qui proin, quia in historia maximè elucet, nonnunquam etiam *historicus* solet appellari.

*Mysticus*, seu, ut alii vocant, *Spiritualis* sensus est, qui non proximè per voces, sed mediatè, & remotè, mediantibus scilicet rebus per voces sensu literali significatis à Spiritu Sancto indicatur, uti Menochius, Serarius, Salmeron & alii communius explicant, & exemplum hujus sensus afferunt in illa sententia Deuteron. 25. *Non alligabis os bovis trituranti.* Ubi sensus literalis is est, quem verba indicant; *mysticus* verò, ut S. Paulus 1. Cor. 9. explicat, Doctoribus & Concionatoribus necessarium & honestum victum suppeditandum esse significat.

Subdividitur autem *Mysticus* hic sensus iterum in *Allegoricum*, *Anagogicum*, & *Tropologicum*, seu *moralem*, ut alii vocant. *Allegoricus* est, qui res fidei vel ad Ecclesiam militantem pertinentes significat. *Anagogicus* est, qui res ad Ecclesiam triumphantem spectantes indicat. *Tropologicus* verò, qui circa mores formandos occupatur; unde alii brevius dicunt, *Allegoricum* circa res credendas, *Anagogicum* circa res sperandas, *Tropologicum* circa res agendas versari, uti communes hi versiculi indicant:

Litera gesta docet; quid credas Allegoria.

Moralis, quid agas; quò tendas, Anagogia.

De quibus quatuor sensibus hæc præterea communiter notant Authores. 1. Sensum literalem in omni omnino Scripturæ loco reperiri; non item *Mysticum*. 2. Possè interdum plures ejusdem sententiæ sensus literales dari, uti contra Medinam & alios S. Thomas cum aliis 1. p. q. 1. a. 10. docet his verbis: *Quia sensus literalis est, quem Auctor intendit; Auctor autem S. Scriptura DEVS est, qui omnia simul suo intellectu comprehendit, non est inconueniens, ut dicit Augustinus*

gustinus 12. *Conf. si etiam secundum literalem sensum in una  
 tera Scriptura plures sunt sensus.* Sic illa verba Joannis 11  
*Expedis nobis, ut unus moriatur homo pro Populo, & non  
 gens pereat:* simul & sensum politicum habebat, quem au-  
 mo tenebat, & suis proponebat Caiphas: & alterum Theo-  
 logicum seu Propheticum, quem Spiritus S. intendebat, &  
 ibidem versu 51. subditur. 3. Posse quoque plures in  
 dem sententia Mysticos sensus, inò interdum omnes quatuor  
 sensus reperiri, sic enim eadem vox Jerusalem histo-  
 ricè urbem, allegoricè Ecclesiam, tropologicè animam, &  
 gogicè caelestem gloriam significat. 4. Sensum Mysticum  
 plerumque ex Veteri tantum Testamento erui, utpote quod  
 figuris, allegoriis, & symbolis abundat; rarius verò in  
 vo reperiri, licet in hoc etiam interdum locum habeat, ut  
 apparet in navicula Petri jactata, quæ mysticè persecutio  
 Ecclesiae significat. 5. Et si Sensus Mysticus in hoc sup-  
 literalem, quòd plerumque figuratum (quod utriusque  
 stantius est figurá) significet, absolute tamen loquens  
 teralem sensum merito ob tres causas præferri. 1. Quia  
 rebus aequè præstantibus esse potest. 2. Quia in omni  
 scripturæ locis reperitur. 3. Quia certior, atque  
 otiam ad probandum utilior est, utpote qui per se ad  
 tionem adhiberi potest, cum tamen mysticus nunquam  
 argumentum servire queat, nisi quando ab alia Scri-  
 ra, vel alio quolibet auctoritate habente testimonio  
 cepit.

Denique præter hos sensus hætenus explicatos  
 etiam *Accommodatitium* assignant, per quem ea, quæ  
 rali sensu dicuntur, ad alia, quæ Spiritus S. neque pro-  
 nec remote significavit, transferuntur, ut, cum illa  
 Eccl. 44. *Inventus est iustus, & in tempore iracundia sua  
 reconciliatio:* ad SS. Confessores applicat Ecclesia; &  
 hic sensus pro cujusque ingenio & arbitrio torquetur,  
 teri argumento adaptatur, rectè notant Commentato-  
 res, nullum ex eo argumentum ad probandum  
 defumi posse.



§. II.

Quis modus in sensu S. Scripturæ investigando sit adhibendus.

Quantopere modus aliquis S. Scripturæ sensum investigandi sit necessarius, pulchrè ostendit Origenes sequentibus verbis: *Sicut in novissimis diebus Verbum DEI ex MARIA carne vestitum processit in hunc mundum, & aliud quidem erat, quod videbatur: aliud, quod intelligebatur; carnis namque aspectus patebat omnibus, paucus verò & electis dabatur Divinitatis agnitio; ita & cum per Prophetas vel Legislatorem Verbum DEI profertur ad homines, non absque competentibus profertur indumentis; nam sicut ibi carnis, ita hic literæ velamine tegitur. Vi litera quidem afficiatur tanquam caro, latens verò intrinsecus Spiritus tanquam divinitas sentitur. Quod ipsum etiam egregiè confirmans Hugo Victorinus l. 3. de anim. In refectorio, inquit, S. Scripturæ tres mensæ, id est, tres intellectus divina Scripturæ ponuntur, videlicet historialis, mysticus, & moralis. Prima mensa simplicibus, secunda Doctoribus, tertia communis est utrisque. In prima cibus est grossior, in secunda subtilior, in tertia dulcior. Prima continet saporem exemplorum, secunda vim mysteriorum, tertia dulcedinem morum. Prima pascit miraculis, secunda figuris, tertia verbis.*

Porro pro modo hoc investigandi S. Scripturam duplicis generis doctrinæ observandæ assignantur, generales scilicet, & speciales, quæ proinde utræque hoc loco breviter sunt referendæ.

Doctrinæ generales pro S. Scripturæ sensu investigando.

Doctrina 1. Nemo ad hanc Interpretationem admittendus est, nisi qui leges, proprietates, & Ordinem S. Scripturæ novit; ita disertè S. Chrysostomus hom. 39. de ira docuit his verbis: *Qui metalla fodere aggreditur artis ignarus, aurum venas non invenit, sed confundit, & laborem subit cassum; ita qui*



qui divinarum Scripturarum ordinem non intelligunt, quibus proprietas, qui leges non disquirunt, sed omnia ad verborum sonum accipiunt, aurum terra confundentes nunquam reconditum in iis thesaurum assequuntur.

Doctrina 1. Nihil in S. Scriptura sine discussione pratereundum: Ita iterum S. Chrysostomus hom. 2. in Isaiam, docuit dicens: Si hi, qui fodiunt in terris metalla, ne minus quidem frustra pratereunt; verum ubi nacti fuerint aliquam venam auream, meatus omnes exacte circumspiciunt: magis hoc facere nos oportet in S. Scripturis. Et tamen in talis difficile est invenire, quod venantur. Etenim cum metalla sint terra, & aurum nihil aliud sit, quam terra, quoque natura communio similitudoque celat aspectum corpora qua quaruntur. Attamen ne sic quidem desistunt illi, sed mentem adhibent diligentiam, quantumvis simul, atque curant, sciant, quid verè sit terra, quid verè sit aurum. Scripturis autem non est eadem ratio; neque enim proprium aurum terra commixtum, sed purum est aurum. Eloquia sunt, DEI pura, argentum igne exploratum, probatum, et siquidem Scriptura non sunt metalla, qua indigent Operam sed thesaurum praebeant paratum iis, qui quarunt opes in reconditis.

Doctrina 3. Non in superficie licet haerendum, sed interiora reconditi sensus tendendum; uti idem S. Doctor hoc in gen. sequenti similitudine ostendit: Sicut, qui semper thesauros effodere conantur, non in superficie solum fodiunt, sed in profundum descendunt, penitiores terra sinus scrutantur, samesi saepe post labores & sudores vix pauculas portiones afferunt. Non sic in spiritualibus, sed labor hic minor, & magna ubertas. Ita & nos ad ima scripturarum descendentes, in breviculis verbis latentem investigemus.

Doctrina 4. Non desistendum, etsi non statim intelligatur S. Scriptura: sed, ut ingeniosè discurret Robertus Tuitienfis l. 7. in Matt. Sicut Iacob luctatus est cum angelo in quo DEVS erat, qui & victum se fatebatur; ita laudari debet Verbi DEI amator cum sermone vel scriptura, in quo DEVS est, qua ex DEO est, nec dimittere, antequam vincere volentem, sensumque comprehendat utilem in litterarum centem. Lucta enim pulcherrima est, tamdiu perseverat

tendo, donec inveniat pulsando, donec sibi aperiatur. Hac lecta placet DEO, hanc cupit ipse vinci, hanc fortitudine opus est, ut nobis aperiatur & det Spiritum sanctum. Sed & aliâ ratione constantiam hanc suadet Origenes, dum homil. 20. in Jesum Nave ait: Solent Medici interdum præbere cibum aliquem, interdum potum dare, verbi gratiâ ad discutiendam caliginem visus, nec tamen in edendo ipso cibo vel in potando sentimus, quia utile est, & prodest oculis, sed, cum transferit visum cibi illius aut poculi virtus, paulatim purgat aspectum, & tunc demum sentire incipimus, quia cibus ille vel potus profuit oculis, sed in aliis similiter corporis partibus eadem fieri solent. Hoc ergo modo credendum est & de Scriptura Sacra, quia utilis est, & anima prodest, etiamsi sensus noster ad præsens intelligentiam non capiat: quoniam, ut diximus, & bonæ virtutes, quæ nobis adveniunt, reficiuntur in iis sermonibus, & pascuntur, & contraria torpescunt in Meditationibus, & effugantur.

Doctrina 5. In S. Scriptura interpretatione modus simplicissimus adhibendus: juxta S. Hieronymi in epist. ad Demetrium sic loquentis monitum: De scripturis disputantem non decet Aristotelis argumenta conquirere, nec ex flumine Tulliana Eloquentia dutendus est rivulus: nec aures Quintiliani flosculis & scholari declamatione mulcenda, sed pedestris & quotidiana similitudinis, & nulla lucubratione redolens oratio necessaria est, quæ rem explicat, sensum edisserat, obscura manifestet.

Doctrina 6. Omnis S. Scriptura Interpretatio ultimè ad caritatem DEI & Proximi referenda est, eique congruere debet: qui jam olim sapienter S. Augustinus in lib. de doctr. Christ. advertit, dum dixit: Quisquis igitur scripturas divinas vel quamlibet earum partem intellexisse sibi videtur, ita ut ea intellecta non adificet istam geminam caritatem DEI & Proximi, non dum intellexit. Quisquis verò talem inde sententiam duxerit, ut huic adificanda caritati sit utilis, nec tamen hoc dixerit, quod illa, quem legit, eo loco sensisse probatur, non perniciosè fallitur, nec omnino mentitur. Inest quippe in mentiente voluntas falsa dicendi, & ideo multos invenimus, qui mentiri velint: qui autem falli, neminem. Et brevius in tract. de laud. carit. illo, inquit, tenet, & quod latet, & quod patet in divinis sermonibus, huius caritatem tenet in moribus.

## Doctrinæ speciales pro sensu S. Scripturæ inveniendæ.

Doctrina 1. *Singula Verba in S. Scriptura sunt consideranda*: nam, ut S. Hieronymus in Epist. ad Ephesios ait, *singulae voces, literæ, apices. & puncta in divinis literis plena sunt sensibus*. Id quod confirmans D. Gregorius Nazianz. in apologetico. Nos, inquit, *Exquisitam Spiritus doctrinam vel usque ad ultimam apicem & lineam transimus*. Et quanquam in omni Scriptura parte hæc adhibenda sit accurata verborum singularum proprietatisque eorum expansio, multo id tamen magis factum est in novo Instrumento, ac multo omnium maxime in Evangelistis; erat enim diffusa gratia in labiis ipsius. Ut ipse Jo. 6. dicebat, quod verba sua Spiritus & vita sunt.

Doctrina 2. *Quantum fieri potest, ipsi fontes frequentius consulendi sunt*: Uti communiter suadent, & faciunt Interpretes S. Scripturæ. Per fontes autem hos nihil aliud intellegendum, quam textus Hebræus & Græcus cum Paraphrasi Chaldaea, & Græca Testamenti Novi Interpretatio; ex his enim raro optimi conceptus ad sententiam, quæ præ manibus habetur, illustrandam eruuntur.

Doctrina 3. *Ad SS. Patrum expositiones diligenter, & fide in sensu S. Scripturæ investigando est recurrendum*: Idem, ut Antonius de Balinghem p. 2. præp. ad loc. cit. monet, non modò in iis locis, ubi ex professo aliquam sententiam tractant, sed etiam iis, in quibus quasi obiter & incidenti eam explanant; in his enim locis latent sæpe peritissimæ, accommodatissimæque S. Scripturæ expositiones passim in eorum solidissimis & eruditissimis lucubratis videre est.

Doctrina 4. *Ne S. Scriptura sibi ipsi contraria esse videatur, diligenter ad ambiguitatem vocum, diversitatem numerorum, & aliasque circumstantias attendendum*: cum enim, ut Salmeron canon. 30. proleg. 9. loquitur, univèrsæ Canonice Scripturæ Author, non sit quasi hominibus mentiatur; nec ut Filius hominis, ut mutetur; necessarium quirit, etiam si aliqua sibi repugnare videantur, ea

minimè sibi contraria esse, sed vel considerata temporum, locorum, causarum, rerum, actionum, & Personarum varietate, aut ambiguitate vocum, nominum propriorum, locorum, & Personarum; aut Cognita varia scribendi ratione per figuras Prolepsis, Anacephaleosis, id est, Anticipationis & Recapitulationis; aut perpena antecedentium & consequentium Verborum contextura, & aliarum circumstantiarum ratione omnia sibi invicem consonare, & mirificè convenire. Ex quo ulterius colligitur

Doctrina 5. Regula ab Interpretibus pro indagando vero S. Scriptura sensu assignari solita diligenter, ubi opus videbitur, adhibenda sunt: Ut enim Artifices, qui regulas suas adhibere temerè negligunt, manifesto se errandi periculo exponunt; ita non minus in S. Scriptura sensu eruendo & exponendo periclitabitur, quisquis Regulas ab Interpretibus Sacris tanto labore, studioque collectas adhibere neglexerit. Quia verò sat magnus similium Regularum est numerus, placet eandem distincto paragrafo breviter enumerare.

§. III.

De Regulis pro vero S. Scripturae sensu indagando assignari solitis.

Ut faciliùs intelligantur hæ Regulæ, proderit eas in diversas classes dividere; aliæ quippe generales sunt, quia generalè aliquam doctrinam in S. Scripturae interpretatione observandam indicant; aliæ particulares, quia vel ad Personas, voces, numerum, tempus, modum loquendi, figuras &c. pertinent, uti mox ex dicendis apparebit.

MEMBRUM I.

De generalibus Regulis.

Regula 1. Qua in divinis libris scripta sunt, tractare debemus per ea, qua scripta sunt. Ita Origenes c. 23. in Matth. Hinc cum Christus Matth. 25. dixerit: *Quamdiu uni ex minimis meis, mihi fecistis*: hæc sententia non ad illa duntaxat verba: *Esurivi, & non dedistis mihi manducare &c.* sed etiam ad alia similia referenda est, ita ut æquè dici possit. *blasphemia*

matus, tristatus sui: & nemo defendit, aut consolatus est me.

Regula 2. *Ambigua in S. Literis, si explicari non possunt in utramque partem intelligi queunt; si fidei regula non obstat.* Ita S. Augustinus de Trin. c. 1. & passim SS. Patrum praefatio confirmat.

Regula 3. *Quae colliguntur ex Scripturis Sacris, perinde habenda sunt, ac si in illis scripta essent.* Ita S. Gregorius Nazanz. l. 5. Theol. & communi Theologorum consensu confirmatur.

Regula 4. *Parabola non sunt ad Verbum exponenda, multa sequantur absurda.* Ita S. Chrysostomus ho. 13. in Matth. Id quod & S. Hilarius 8. de Trin. confirmat dicitur. Non oportet in Parabolis nimiam in singulis verbis curam persequi, sed eam, quae per Parabolam intendat, didicerimus, in eadem sententia collecta, nihil ulterius anxio est conatu investigandum.

Regula 5. *Tropologia in S. Scriptura libera est, & hinc tum legibus circumscripta, ut pietatem sequatur intelligentiam sermonisque contextum, nec in rebus multum inter se contrariis violenta sit copulandis: Ita S. Hieronymus in cap. 1. ad Hinc in cap. 1. Jonae ait, Apostolum quidem Agar & Sara ad duo Testamenta referre, nec tamen omnia, quae in Historia illa narrantur, tropologicè interpretari possumus.*

## MEMBRUM II.

## De Regulis circa Personas.

Regula 1. *Usitatum est in Sacris Literis, ut bona quaecunque facimus, DEO adscribantur.* Ita S. Aug. in Rom. Sic intelligendum est illud Rom. 8. Ipse Spiritus postulat in nobis gemitibus inenarrabilibus, id est, postulantes faciat.

Regula 2. *Scire sive cognoscere DEI, quando Personae DEVM probare & diligere significat; Ita S. Hieronymus Origenes apud Salmeronem proleg. 10. can. 17. ubi simili modo DEVM illos nescire dici, quos non diligunt, notitiâ indignos censet. Hinc Luc. 13. dicit Christus credite à me Operarii iniquitatis, quia non cognovistis DEVM. contrario Apostolus 2. Tim. 2. ait: Nescit DEVS eos, qui non cognovistis DEVM.*

Regula 3. Sape etiam scire aut nescire dicitur DEVS, quæ facit alios scire, aut aliis non indicat. Ita Salmeron l. c. Hinc ad Abraham dixit DEVS Gen. 22. Nunc cognovi (id est, cognoscere te feci) quod timeas DEVM. Et Christus Matth. 24. De die autem & hora (scilicet iudicii) nemo scit, neque Angeli Cælorum, nisi solus Pater.

Regula 4. Quoties absolute legimus venientem vel venturum, nec Persona signatur, qua venit, simpliciter est de Christo intelligendum; ut Hippolytus Romanus in Daniele tradit. Hinc isti & similes textus: Si moram fecerit, expecta illum: quia veniens veniet, & non tardabit. Habac. 2. Benedictus, qui venit in nomine Domini. Jo. 12. de Christo solo, & non alio intelligendi sunt.

## MEMBRUM, III.

## De Regulis circa Numerum.

Regula 1. Nomina Numeralia ab uno usque ad quinque solent in S. Scriptura saepe improprie ad significandam diminutionem sive paucitatem accipi. Ita Salmeron can. 50. Et sic intelligendæ sunt hæ sententiæ: En colligo duo ligna, id est, pauca, 3. Reg. 17. Et: In Ecclesia volo quinque, id est, pauca, sensu meo loqui, ut & alios instruam, quam decem millia verborum in lingua, 1. Cor. 14.

Regula 2. Nomina numeralia quintum numerum superantia plerumque multitudinem significant. Ita idem Salmeron l. c. & colligitur ex sequentibus textibus: In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum. Job. 5. Item: Septies in die cadet iustus, & resurgit. Prov. 24. Mercedem meam decem vicibus. Gen. 31.

Regula 3. Mos est S. Scriptura, maxime in Hebraico textu nomina cardinalia pro Ordinalibus sumere. Ita Salmeron proleg. 11. can. 50. Cujus regulæ exemplum habetur Gen. 1. tum dicitur: Factum est vespere & mane dies unus, id est, primus. Item Joann. 20. unâ Sabbatorum, id est, prima die somnitate Azymorum.

Regula 4. Numerus definitus frequenter pro indefinito ponitur. Sic iterum Salmeron l. c. & habentur exempla tum roy. 24. Septies in die cadet iustus, id est, saepe. Et Psal. 90. Cadent

*Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.*

Regula 5. Non raro numerus singularis in Scriptura plurali ponitur. Ita S. Augustinus 5. de Gen. ad lit. c. 10. pro exemplo affert illam sententiam Genes. 1. *Fons aquebat de terra, & irrigabat faciem terra.* pro *Fontes ascen-* bant.

Regula 6. Omnes pro multis, & multi pro omnibus in sacris literis ponuntur. Uti S. Augustinus l. 6. contra Pelag. c. 12. docet, & exemplo confirmat petito ex illo Gen. 17. *Urem multarum gentium posui te, cum tamen eidem alibi dicitur: In semine tuo benedicentur omnes gentes.*

Regula 7. Cum idem nomen substantivum in Nominativo ponitur cum Genitivo plurali, excellentiam quandam significat: Ita S. Hieronymus in cap. 1. Galat. & patet veritas illa ex his & aliis exemplis: *DEVS Deorum, Dominus Dominorum, Calum Calorum.*

Regula 8. Cum S. Scriptura omnia licere, vel facienda finenda, aut impetranda dicit, de bonis tantum & licitis omnino loqui censenda est. Ita Salmeron 14. proleg. formul. 19. hac ratione intelligendi sunt sequentes textus: *Omnia habent, sed non omnia expediunt.* 1. Cor. 10. *Omnia temptabunt.* Eccl. 3. *Omnia, quacunque orantes petitis, credite accipietis.* Marc. 11.

## MEMBRUM IV.

## De Regulis circa Tempus.

Regula 1. More Hebraeo frequenter in S. Literis praesens pro futuro ponitur: Ita Salmeron proleg. 15. reg. colligitur ex his & similibus textibus: *Pacem meam roborabo vobis.* Jo. 14. *Non do vobis pacem.* Exod. 5. *Ecce dimittam bonorum meorum do pauperibus.* Luc. 19.

Regula 2. Etiam praeteritum non raro pro praesenti ponitur in S. Scriptura. Uti idem Author reg. 3. docet, probante sequentibus textibus: *Venite, Domine, ego credidi,* pro quia Christus interrogaverat: *Credis hoc? Medius caecus ait: Spiritus meus &c. pro exultat.* Luc. 1.

Regula 3. Frequentissimum est in S. Scriptura, ut

titum pro Futuro accipitur: Ita S. Hieronymus in epist. ad E-  
 phel. ubi sic loquitur: *Mos est iste scripturarum, ut interdum*  
*futura tempore praeterito declinentur. Verbi causa de cruce Do-*  
*mini: Foderunt manus meas & pedes. & alibi de Passione eius:*  
*Quasi Ovis ad victimam ductus est. Hoc autem ides, ne, quia*  
*futura semper incerta sunt. hominum spes semper fluctuet, & va-*  
*cillet ea, qua DEVS futura cognovit, apud quem nihil ambi-*  
*guum est, quasi iam facta memorantur. Vt, quia praeterita se-*  
*cundum Philosophos fieri infecta non possunt, qui audierint, quasi*  
*iam facta habeant, qua futura sunt.*

Regula 4. Sicut in scriptura imperandi modus pro optati-  
 vo & futuro sumitur (maximè in imprecationibus Sanctorum)  
 ita vicissim futurum pro imperativo accipitur. Ita Salmeron  
 proleg. 15., ubi pro singulis membris exempla haec affert:  
*Excaca cor Populi huius, id est, excacabis. Psal. 68. Pater no-*  
*ster, qui es in caelis. Sanctificetur nomen tuum, id est, utram*  
*sanctificetur. Matth. 6. In ore duorum aut trium testium stabit*  
*omne verbum, pro fiet.*

Regula 5. Quando unum & idem verbum geminatur, ve-  
 hementiam, & continuationem actionis, & confirmationem sen-  
 tentia significat. Ita Salm. l. c. reg. 12. & patet ex sequenti-  
 bus textibus: *Expectans expectavi Dominum. Psal. 39. Ca-*  
*stigans castigavi me. Psal. 117. Benedicens benedicam tibi.*  
*Gen. 22.*

Regula 6. Imperativus non semper habet vim praeccepti,  
 sed interdum, si nominibus adhaereat, etiam vim deprecandi ha-  
 bet. Uti Salmeron proleg. 11. can. 21. his exemplis ostendit:  
*Miserere mei DEVS. Psal. 50. O Domine, salvum me fac. Psal.*  
*117. Vel etiam vim consulendi, ut, dum dicit Christus Matth.*  
*9. Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, qua habes. Et S.*  
*Paulus 1. Cor. 7. Solutus es ab uxore? noli quarere uxorem.*

Regula 7. Multa dicuntur in Scriptura iuxta Opinionem  
 temporu, quo gesta referuntur, & non iuxta, id, quod veritas  
 praesentinebat. Ita S. Hieronymus c. 28. in Jeremiam, ubi Ana-  
 thias dicitur Propheta, non quod esset, sed quod crederetur ta-  
 lis. Et B. Virgo Matth. 14. dixit de S. Iosepho: *Ecce Pater*  
*tuus (qui putabatur talis, & non erat) & ego dolentis quare-*  
*amus te.*

Regula 8. *Mos est celeberrimus S. Scripturarum, ut his*  
*verbis:*



verbia: In diebus illis: non solum, quae facta sunt, sed etiam profecti, adiungantur. Ita S. Chrysostomus homil. 10. in cap. Matth. ubi exemplo ex cap. 23. Matthæi petito id confirmat. Ubi dicitur: *Va autem pragnantibus in illis diebus.*

Regula 9. *Frequenter in S. Scriptura aliquid tunc fitur, quando innotescit, & non quando actu fit.* Ita S. Augustinus l. 83. qq. q. 69. sic Christus Matth. ult. dixit: *Data mihi omnis potestas in caelo, & in terra.* Non quod non iam data fuerit, sed quia post resurrectionem innotescit. Sic & idem Christus Luc. 2. dicitur profecisse, *etate sapientia &c.*

## MEMBRUM V.

## De Regulis circa Voces.

Regula 1. *Multi verba aut voces in scriptura ambigunt, imò etiam oppositas habent significationes.* Ita Salmeron leg. 15. reg. 32. Et patet in voce *Benedicere*, quae interdum significat *Laudare* juxta illud: *Benedicam Dominum in tempore.* Psal. 33. Interdum *benefacere*, uti Gen. 24. *Domine benedixit Domino meo valde.* Interdum *maledicere* Job. c. 2. *Benedic DEO, & morere.* Sic etiam extenditur interdum significat *percutere vel nocere* juxta illud: *Ubi visis i. Reg. 24. Non mittam manum meam, in Christum misi.* Interdum *orare* significat ut *Isaia 1. Cum extiteris manus vestras, avertam oculos meos à vobis.* Interdum idem ac *benefacere* significat, ut *Prov. 31. Palmas suavitatis dicit ad pauperem.*

Regula 2. *Multi voces in S. Scriptura iuxta idem Hebraicum habent peculiare significationes: uti Salmeron leg. 33. sequentibus verbis ostendit.* *Dare manum*, idem ac *subjicere se* juxta illud *Thren. 5. Aegypto dedimus manum nostram.* *Edificare domum*, idem est, ac *posteris relinquere*, quod fitu *Lia & Rachel* Gen. 29. *domum Israël edificasse dicitur.* *Ingressus* & *egressus* significat *praestare officium suum*, ut *Solomon dicebat 3. Reg. 3. Ego sum Puer parvulus, & non habeo egressum & introitum meum.* *Cognoscere* & *alloqui* significat *concupiscitum cum illa*, uti patet ex c. 4. Gen. dicitur: *Adam cognovit uxorem suam.* Et *Cant. 8. Quis habet*

quus Sorori in die, quando alloquenda est, id est, desponsanda,  
 & à Viro cognoscenda. Loqui ad cor consolari significat  
 juxta illud Isaia 40. Loquimini ad cor Ierusalem, & advocate  
 eam. Facere foetere est odiosum facere, qui prius gratus erat;  
 sic Gen. 34. dicitur: Turbâstis me, & foetere fecistis Chana-  
 nais; ubi Interpres habet, odiosum fecistis. Movere caput,  
 post aliquem, est irridere aliquem, uti Isaia 27. dicitur: Post  
 se caput movit, Filia Hierusalem. & clarius Psal. 20. Omnes vi-  
 dentes me deriserunt me; locuti sunt labiis, & moverunt caput.  
 Movere verò caput super aliquem est de malo ejus dolere, uti  
 videre est Jerem. 18. Omnis, qui praterierit per eam, obstupe-  
 scet, & movebit caput suum. Animam in manibus portare,  
 idem significat, ac in discrimine versari juxta Psal. 118. Ani-  
 ma mea in manibus meis semper. Ambulare coram DEO est  
 eum præsentem imaginari juxta illud Gen. 17. Ambula co-  
 ram me, & esto perfectus. Ambulare autem cum DEO idem  
 est ac facere voluntatem ejus, quo sensu Noë Gen. 5. Vir ju-  
 stus fuisse, & cum DEO ambulasse dicitur. Pedes contegere  
 significat alvum purgare. Hinc 1. Reg. c. 24. Saul ingressus  
 speluncam ad contegendos pedes dicitur. Silere frequenter  
 idem significat in S. Scriptura, ac à bello quiescere juxta illud  
 Isaia 14. Conquievit, & siluit omnis terra. Cadere de sermo-  
 nibus, idem significat ac non implere, uti de Samuele 1. Reg.  
 3. dicitur: Non cecidit ex omnibus verbis eius in terram. Ne-  
 minem salutare per viam significat magnam celeritatem iti-  
 neris. Hinc Christus Apostolis Luc. 9. dixit: Neminem per  
 viam salutaveritis. Non relinquere mingentem ad parietem  
 Hebræis est familiare, & significat, nulli masculo parcere,  
 modo nec cani ejus, cujus est proprium ad parietem mingere.  
 Regula 3. Non pauca etiam voces alio in sensu à S. Scri-  
 ptura accipiuntur, quàm primo aspectu videntur habere. Sic  
 juxta S. Hieronymum in c. 1. Matth. Primogenitus à S. Scri-  
 ptura vocatur non is duntaxat, quem alii Fratres nascendo se-  
 quuntur, sed is etiam, qui primò natus est; alioqui enim de-  
 iussent Israëlita jussi offerre Domino, aut Sacerdotibus,  
 quod aperit vulvum, expectare in oblatione, donec vide-  
 nt, an alius post Primogenitum nasceretur. Sic etiam Fæ-  
 rentiam agere, non semper idem est, ac converteri; alioqui  
 hab deberet dici conversus ad Dominum, ut rectè notat  
 Rupert-

D

Ruper-



UNIVERSITÄTS-  
 BIBLIOTHEK  
 PADERBORN

Rupertus Abbas in c. 5. Osee. Qui etiam in c. 1. Amos. ostendit, non idem esse *Fugere Dominum, & fugere à facie Domini*, illud enim semper malum est; hoc non item, cum nihil aliud sit, quam refugere sententiam vel tremendum propositum DEI, quod etiam is, qui diligit DEVM, facere potest. In modo *Clamare* in S. Literis non semper magnæ vocis emissionem, sed scientiæ & dogmatum magnitudinem, & compunctum significat, teste S. Hieronymo in cap. 4. Galat. ubi Apostolus dicit: *In quo clamamus, Abba Pater.* Spiritus quoque, si sine addito proferatur, semper in bona partem accipitur; malus verò Spiritus semper cum addimento exprimitur. Ita S. Hieronymus in c. 2. Micheæ. dicitur Galat. 5. *Si Spiritu vivimus, Spiritu & ambulemus.* contrario Luc. 11. *Cum immundus Spiritus exierit.*

## MEMBRUM VI.

## De Regulis circa Sensum.

Regula 1. Nunquam ad spirituales sensum indagandum progredi oportet, priusquam literalis sensus cognitus est. Augustinus l. 8. de gen. indicat, dum ait: *Cur non potest thorem simpliciter Scriptura sequimur in narratione veterum, res verè gestas prius intelligentes, tum de numeris, quid aliud significant, perscrutantes?*

Regula 2. Nihil est sub sensu spirituali alicui loco tradendum, quod non per alium locum in sensu literali manifestatum inveniat. Ita iterum S. Augustinus, & uterque mens ac Origenes apud Salmeronem proleg. 19. can.

Regula 3. In sensu spirituali statuendo nihil est ab una & eadem dicto vario aut contrario modo accipiendum. Salmeron l. c. can. 12. cum enim etiam in literali sensu propter Metaphoras aut rerum varias naturas idem commutabiliter mirum videri non debet, si etiam in mystico sensu, quod liberius est, hoc reperiat. Hinc idem serpentis quandoque Dæmonem, ut Gen. c. 3. quandoque Christum quandoque Detractorem significat.

Regula 3. Quandounque S. Scriptura mentionem de Rege Messia, eiusque proprietatibus, aut sponsa &c. &c. vita aeterna per varia præmia explicata, in mystico sensu

*trophicè est accipienda.* Sic totum Psalmum 44., Cantica Canticorum, & nomina Merces, Bravium, Denarius, Corona, Thesaurus, Margarita, Convivium, Cœna magna, Mansio & similia, per quæ beatitudo indicatur, accipere oportet.

Regula 4. *Si dua tropica locutiones alicui loco Scripturae applicentur, ea præferenda est, qua magis ad proprietatem accedit.* Ita Salmeron proleg. 12. can. 13. Hinc illud Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii Hominis &c.* etsi de spirituali manducatione intelligi queat, rectius tamen intelligitur de corporali simul & spirituali in Sacramento Eucharistiæ.

Regula 5. *Quidquid in S. Scriptura neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem propriè referri potest, figuratè accipi debet.* Ita S. Aug. l. 3. de doctr. Christ. c. 10. Hinc quia paulò antè citata sententia de manducatione corporali carnis visibilis intelligi sine absurdo non potest, de spirituali & Sacramentali intelligi debet.

Regula 6. *In divinis Scripturis vera aliquando tacentur, non mentiendo, sed tacendo.* Ita iterum S. Augustinus c. 10. contra mendac. Unde Abraham Gen. 12. dicendo Saram esse sororem suam, non mentitus est, quia erat tam propinqua, ut soror non mendaciter diceretur.

Regula 7. *S. Scriptura frequenter non tam attendit ad id, quod res ipsa existit, quàm ad id, quod ex natura rei esse debet.* Ita Salmeron proleg. 9. can. 35. ubi pro exemplo affert sequentes textus: *Verebuntur Filium meum.* Matth. 21. *Non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Psal. 13. *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vivis.* Isaia 38.

§. IV.

De praxi supradictarum regularum in apparentibus S. Scripturae contradictionibus solvendis.

Etsi ex priori §. satis clarè pateat, quomodo Regulae S. Scripturae applicari debeant; quia tamen harum Regularum utilitas ac praxis nusquam magis, quàm in contradictionibus apparentibus solvendis apparet, ideo operæ pretium futurum visum est, si potiores aliqua Contradictiones ejusmodi

afferantur, &, quomodo solvi debeant, breviter ostendatur  
ut ex earum solutione etiam alia solvi discantur.

Contradictio 1. Genesis 46. dicitur: *Cuncta  
nima, qua ingressa sunt cum Jacob in Aegyptum sexaginta* (sic)  
quomodo ergo Gen. 46. dicuntur fuisse septuaginta? Res-  
quia in priori loco non numeratur Jacob cum Josepho, & du-  
bus ejus Filiis Ephraim & Manasse.

Contradictio 2. Ezechielis 18. dicit DEVS: *Filius  
portabit iniquitatem Patris*; quomodo ergo Exod. 20. dicitur  
potuit DEVS: *Ego Dominus visitans iniquitatem Patrum  
Filiis*? Resp. quia in priori loquitur DEVS de culpa peccati  
quæ sine consensu Filiis non adscribitur; in posteriori  
loquitur vel de Filiis sequentibus Patrum malorum vestigiis  
atque ad eam iniquitatem participantibus; vel certe sermo  
de temporali duntaxat penâ, quâ interdum Filii propter  
rentes castigantur, sed ita, ut insignis simul meriti aug-  
mentum offeratur.

Contradictio 3. Exodi 33. dicit DEVS: *Non videbit  
Homo, & vivet*; quâ ratione ergo Jacob Gen. 32. dixit  
DEVM *facie ad faciem, & salva facta est anima mea*? Res-  
quia in priori textu de lege ordinaria & visione essentiali  
nâ in se locutus est DEVS; in posteriori verò Jacob  
sub corporea specie vidisse se DEVM affirmabat.

Contradictio 4. Jobi cap. 1. dicitur: *In omnibus  
peccavit lob labiis suis*; quâ veritate ergo c. 7. dicit se  
râsse, suspendium elegisse, peccâsse? Resp. quia in  
textu de peccato blasphemix & murmurationis sermo  
in posteriori de peccatis aliis, & maxime ante hanc  
nem admissis. Desperatio tantum erat de bonis amissis  
perandis, qua de causa sic affligebatur, ut maluisset per-  
dium citò finire vitam.

Contradictio 5. Ecclesiasticus c. 3. dicitur, suis spatiis  
ire universa sub cælo; cur ergo ibid. n. 14. omnia operantia  
fecit DEVS in perpetuum perseverare dicuntur? Res-  
priori loco sermonem esse de operibus cum tempore  
ratis, aut in se consideratis; in posteriori autem de operantia  
sex dierum vel in se, vel in sua specie durantibus peccatis.  
til us.

Contradictio 6. Ecclesiastici 11. c. dicitur, *vita & opus*

DEO esse; qui ergo dicere potuit Salomon, DEVM mortem non fecisse? Resp. quia in priori casu de voluntate permittente & consequente sermo est; in posteriori autem de voluntate antecedente & approbante, peccatum locutus est Salomon.

Contradictio 7. Quomodo S. Joannes c. 2. cum veritate dicere potuit, templum ædificatum esse quadraginta & sex annis, cum tamen à Salomone non nisi septem annos cum dimidio in hoc ædificio impensos dixerit Scriptura 3. Reg. 6. Et Zorobabel vix quinque annos insumpserit 1. Esdræ 6. ? Resp. quia Judæi locuti sunt aut secundum falsam suam opinionem, quâ putabant, tot annis templum fuisse ædificatum; aut certè de 46. annis inter tempus Christi, & tempus restorationis ab Herode factæ locutos esse; non autem de septem annis verè impensis.

Contradictio 8. Joannis 20. dicitur, Mariam Magdalenam venisse ad monumentum, cum adhuc tenebræ essent, quomodo ergo S. Marcus c. 16. dicere potuit, eam venisse Orto jam Sole? Resp. quia S. Joannes locutus est de tempore, quo è domo egressa est; S. Marcus verò de tempore, quo ad monumentum venit.

Contradictio 9. Joannis 4. c. dicitur: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Cur ergo Ecclesiastici 24. c. dicitur: *Qui bibunt me, adhuc sitient?* Resp. in priori textu vocem *bibere* in spiritali sensu pro gustu vitæ æternæ, in posteriori verò pro desiderio & concupiscentiâ summi, quæ tautò magis solet crescere, quantò plùs gustatur de objecto concupito.

Contradictio 10. S. David Psalm. 115. ait: *Omnis homo mendax;* qui ergo S. Joannes Apoc. 14. dicere potuit: *In operatorum non est inventum mendacium?* Resp. in priori textu loquitur qui S. Davidem de Homine secundum naturam corruptam voluntaxat spectato; in posteriori autem sermonem esse de Homine per gratiam divinam adjuto.

Contradictio 11. S. Paulus ad Rom. 11. dicit, sine pœnitentia esse dona & vocationem DEI; quomodo ergo DEVS Reg. 15. dixit: *Pœnitet me, quòd constituerim Saul Regem?* Resp. quia S. Paulus locutus est de pœnitentia quoad affectum intrinsecæ voluntatis, prout solent pœnitere homines, qui

qui sunt Mentabiles, qualis modus poenitentiae non conuenit DEO; sed solum quoad effectum operis externi, quatenus nimirum operatur exterius, qualia nos interna poenitentia ducti facere consueuimus.

Contradictio 12. Lucae 6. dicitur: *Omni petenti te reddere ergo Siracides c. 12. ait: Non dederis impio, prohibe illi dari.* Resp. Christum l. c. locutum esse de elemosinis Siracidem autem de collatione munerum innixa iustitiae & tributiuae, qua beneficia ac munera non nisi pro meritis & dignitate Personarum distribuuntur.

Contradictio 13. Apostolus ad Galat. 6. hortatur, ut alterius onera portet; quomodo ergo eodem capite dicitur: *Vnusquisque onus suum portabit?* Resp. in praesens versus loqui Apostolum partim de gravaminibus naturalibus Proximum gravantibus, partim de peccatis Proximi, quae portare debemus per compassionem, instructionem, correptionem & afflictiones pro ipso susceptas, sicut Christus Iesus iniquitates nostras portasse dicitur. In posteriori vero loquitur de poena peccatum sequente in die iudicii, ubi poena quae iuxta suorum peccatorum mensuram punietur.

Contradictio 14. Idem Apostolus 1. ad Timotheum dicit, Omnium malorum radicem esse cupiditatem; quomodo ergo Ecclesiastici 10. c. initium omnis peccati superbia dicitur? Resp. quia in utroque textu particula *Omnis* interpretatur pro singulis generum, quasi nullum in particulari peccatum esset, quod non ex avaritia oriretur; sed de generibus singulorum, quod scilicet omnis generis mala ex avaritia nascantur; quo sensu non repugnat etiam Superbiae omnis peccati radicem dici.

Contradictio 15. S. Paulus ad Galat. 1. dicit: *Si hominibus placere, Christi seruus non essem:* & tamen 10. dicit: *Ego per omnia omnibus placeo.* an non haec contradictio est? Resp. in priori textu loqui Apostolum de magna hominum gratia, ut in ea tanquam sine quiete posteriori vero textu loqui eum de placendi studio pro DEVM, id est, non offendendi alios, sed potius ad gloriam ubi locum habet illud Maldonati in cap. 5. Matthaei: *Uiam gloriam quaerit non sibi, sed DEO, etiamsi uideri cupiat, non cupit.*

Contradictio 16. Christus Matth. 5. dixit: *Non veni solvere legem, sed adimplere*; quomodo ergo translato Sacerdotio necesse est, ut & legis translatio fiat, quemadmodum S. Paulus ad Hebr. 7. ait? Resp. Legem quidem antiquam à Christo fuisse abrogatam, sed tamen etiam implēsse, quamdiu adhuc durabat, dum juxta illius præceptum Jerolymas ascendit, Pascha manducavit &c. Et præterea quæ lex antiqua per figuras & ceremonias promisit, ipse in effectu præstitit.

Contradictio 17. Ad Hebræos 9. dicitur: *In arca erat urna habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabula Testamenti*: quomodo ergo 3. Reg. 8. dici potuit, in arca non fuisse aliud, quàm duas tabulas lapideas, quas posuerat in ea Moyses? Resp. Cornelius à Lapide in arca quidem nihil aliud inclusum fuisse, quàm duas tabulas, juxta arcam tamen fuisse etiam repositam virgam Aaronis & urnam, atque adeò juxta Hebraismum dici potuisse in arca posita, sicut dicimus calceos in pedibus habere, licet sint juxta pedes positi.

Contradictio 18. S. Jacobus c. 1. dicit, *DEVM neminem tentare*; an non hoc contrarium Genesi c. 22. ubi dicitur: *Tentavit D EVS Abraham*? Resp. S. Augustinus de verbis Domini, aliam esse tentationem inducentem ad peccatum; aliam, quæ fides probetur, & meriti occasio offeratur; de hac locum Genesim, de priori S. Jacobum locutum fuisse.

Contradictio 19. S. Joannes 1. c. 1. ait: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*; quomodo ergo mox c. 3. dicere potuit: *Omnia, qui natus est ex DEO, peccatum non habet*? Resp. quia in priori textu loquitur de Homine secundum solam naturam corruptam spectato; in posteriore verò loquitur de Homine gratiâ DEI ornato, quam, quamdiu retinet peccatum, saltem grave, non facit.

Contradictio 20. Joannis 15. dicitur: *Omnia, quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis*: quâ ratione ergo idem Christus Joan. 16. dixit: *Adhuc multa habeo vobis dicere, quæ non potestis portare modo*? Resp. in priori textu per particulam *omnia* non intelligi omnia simpliciter, sed quæ Discipulorum captui conveniebant, & quæ ut Legatus DEI dicere poterat;



terat; quæ interpretatio non tollit veritatem posterioris textus.

Contradictio 21. Matth. 18. dixit Christus: *Si perierit in te Frater tuus, corripe eum inter te, & ipsum solum* quomodo ergo S. Paulus dicere ausus est: *Peccantes contra omnibus argue, ut ceteri timorem habeant?* Resp. Christus de peccatis privatim, S. Paulum de publicè commissis locutum fuisse.

Contradictio 22. Marci 10. dicitur: *Nemo bonus, & unus DEVS*; quomodo ergo Luc. 6. dicitur: *Bonus Homo de bono thesauro cordis sui profert bonum?* Resp. In priori textu intelligi bonum per essentiam; vel etiam bonum totaliter qui omni vitio careat; in posteriori autem bonum partialiter, vel etiam secundum quid.

Contradictio 23. Matthæi 10. dicitur: *Nihil tolletis in via, non peram, non calcamenta, neque virgam*; cum ergo idem Christus Marc. 6. præcepit eis, ne quid tolleret in via, nisi virgam tantum? Resp. vel cum aliquibus in priori sensu virgam propriè; in posteriori metaphorice potestate faciendi miracula, aut accipiendi alimenta prædicandi Evangelium accipi; vel, si utrobique præsumenda sit virga, in priori textu virgam ad feriendum posteriori ad sustentandum intelligendam esse.

Contradictio 24. Quomodo Christus Luc. 11. dicit: *Date elemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*; cum tamen Apostolus 1. Cor. 13. dicat, nihil prodesse, si dixerit in cibos pauperum omnes facultates suas, caritatem autem non habeat? Resp. Elemosynam mundare dicitur tunc duntaxat (quatenus impetrat gratiam, ut homo mundari) vel concomitanter, quatenus ex amore DEI per omnia procedit; caritatem autem per se formaliter præficare, quod prædicatum elemosynæ non convenit.

Contradictio 25. Quomodo idem Christus dixit Luc. 22. *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis*; cum tamen ipsemet Matt. 26. dicat: *Omnis vos scandalum passi sunt in me?* Resp. in priori textu Christum locutum fuisse de tentationibus seu tribulationibus, quas ante passionem passus est; in posteriori verò de tribulationibus passis subsequentibus.

Contradictio 26. Quomodo JESUS dicitur Joann. 3. baptizasse, cum tamen c. 4. non baptizasse ipsum dicat S. Joannes? Resp. cum non quidem baptizasse in propria Persona (nisi forte B. Virginem, & S. Petrum & Joannem, ut aliqui putant) baptizasse tamen per Discipulos; censetur autem quis facere, etiam, quod facit per alios.

Contradictio 27. Quomodo Apostolus ad Rom. 9. dixit: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*; cum tamen Sap. 11. dixerit Salomon: *Diligis omnia, quae sunt, & nihil odisti eorum, quae fecisti*? Resp. in priori textu non de odio absoluto, quo quis rem odio habitam vult non esse; sed de odio comparativo, quo quis rem aliquam odisse dicitur, quam in comparatione cum alia minus diligit, sermonem esse; unde nihil in illo textu contrarium posteriori dicitur.

Contradictio 28. Quomodo S. Paulus ad Rom. 3. dicit, justificari Hominem per fidem sine operibus legis; cum tamen S. Jacobus c. 2. dixerit, fidem sine operibus mortuam esse? Resp. S. Paulum locutum esse de fide viva, quae est cum caritate conjuncta; S. Jacobum autem de fide mortua seu solitariè accepta; aut certe S. Paulum loqui de justificatione fundamentali seu inchoata; S. Jacobum verò de formali & consummata justificatione.

Contradictio 29. Proverb. 26. dicitur? *Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis*; quomodo ergo mox subjicit: *Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur*? Resp. in priori textu de responsione stulta; in posteriori verò de responsione juxta meritum stultitiae, seu ad eam redarguendam accommodata sermonem esse.

Contradictio 30. Cum Gen. c. 1. dixerit DEUS Adamo & Evæ: *Crescite, & multiplicamini*; quomodo S. Paulus Matt. 19. *Non expedit nubere*? Resp. cum primi Parentes debuerint multiplicare genus humanum, meritò illis præceptum propagationis impositum est; Quod tamen præceptum genere humano satis multiplicato non amplius est necessarium; unde ob matrimonii difficultates aliquibus non expedit nubere.

Contradictio 31. Deuter. 12. dicitur: *Occide, & comede, si ve immundum fuerit, si ve mundum*; cur ergo ibid. c. 14. dicitur:

dicitur: *Ne comedatis, quæ immunda sunt?* Resp. in priori textu sermonem esse de immundis animalibus secundum quod quid, id est, talibus, quæ vel vitata offerri non poterant: bos, ovis, capra, turtur, columba, vel unguam non fidebant, nec ruminabant, ut cervus, caprea, oryx, & similes: in posteriori verò textu sermonem esse de animalibus absolutè immundis, qualia sunt vel morticina, id est, per se mortua; vel quæ non ruminant, ut fuscus; vel unguam non findunt, ut camelus, lepus, cuniculus.

Contradictio 32. Matt. 10. dicitur: *Gratis accepistis, gratis date:* quomodo ergo Luc. 10. dicitur: *dignus est operarius mercede sua?* Resp. in priori loco dixisse Christum quòd merces pro prædicatione Evangelii non sit petenda in posteriori verò insinuari, quòd ab Auditoribus illis rem debeat prædicatoribus merces & cibus, etiam si non eandem ut mercedem aut præmium intendere & petere debeant.

Contradictio 33. Jonæ 3. dicitur: *Adhuc 40. dies, et Ninive subvertetur:* quomodo ergo ibidem c. 4. dicitur: *Ego parcavi Ninive civitati magnæ?* Resp. quia comminatio Jonæ conditionata duntaxat fuerat, si scilicet penitentiam non agerent; cum ergo hæc conditio impleta fuerit, meritò DEUS se parsurum dixit.

Contradictio 34. S. Joannes 1. c. 2. dixit: *Antichristus venit:* quomodo ergo S. Paulus 2. Thim. 2. dixit: *Tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus interficiet?* Resp. in priori textu præsens tempus futuro sumi, quo notato non erit difficultas in posteriori tempore salvando.

Contradictio 35. Quomodo Christus Joannis 5. dixit: *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum:* cum Jo. 8. dixerit: *Et si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum verum est?* Resp. in priori textu loqui Christum de testimonio secundum vulgarem opinionem accepto, quod suspectum est, si quis de se testetur; in posteriori autem textu loqui de testimonio prout à parte rei se habet, & à suprema veritate oritur, quo respectu utique verum est.

## §. V.

## De Mediis ad Theologiam positivam addiscendam.

Duplicis generis media plerumque præscribuntur ab Interpretibus S. Scripturæ ad hanc scientiam addiscendam, naturalia scilicet, & supernaturalia, quæ proin utraque breviter hoc loco referuntur.

Inter naturalia primum Alphonsus Salmeron proleg. 17. numerat humanas Disciplinas; tum quia S. Scriptura ita attemperata est, ut, sicut Tinctores, priusquam perfectum colorem purpuræ panno inducunt, prius alium inferiorem præmittunt, super quo aptius imprimatur color perfectus, ita disciplinæ humanæ ante divinam scientiam præmittantur; tum quia S. Scripturæ splendor magis apparet, si juxta cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentias ponatur; tum quia denique conducunt ad magis resistendum Hæreticis paralogizantibus, & Dæmonibus tentantibus, & scrupulos contra fidem ingerentibus.

Secundum medium naturale merito *Historia* creditur à S. Aug. l. 2. de doctr. Christiana c. 28. quia, quidquid de ordine temporum transactorum ea indicat, plurimum nos adjuvat ad sacros libros intelligendos, etiamsi præter Ecclesiam puerili eruditione discantur, uti S. Pater fufius l. c. per exempla demonstrat.

Tertium est *Linguarum Trium principalium Hebræa scilicet, Græca, & Latina cognitio*; nam si earum phrasæ & idiomata bene cognoscantur, magnum lumen studiosis scripturarum lectoribus ingerunt, non solum ad ambiguitatem nominum tollendam, & corruptorum textuum emendationem, similitudinumque & ænigmatum perceptionem; verum etiam ad sensus mysticos & spirituales suavius accommodandos, & stabiliendos, ut loquitur Salmeron proleg. 9. can. 13.

Quartum est *assiduitas lectionis*; quia ut Isidorus l. 1. de summo bono ait, quanto quisque magis assiduus fuerit in sacris eloquiis, tanto ex eis uberiorem intelligentiam capit. Et, ut S. Augustinus l. 2. de doctr. Christ. c. 9. ait, prima ob-

serva-

servatio est nôsse libros istos, etsi nondum ad intellectum legendo tamen, vel mandare memoriæ, vel omnino innotuit gnitos non habere.

## MEMBRUM II.

## De mediis supernaturalibus.

Primum inter hæc meritò censetur *animi puritas*: nam ut sapienter Cassianus. Coll. 14. c. 14. advertit, impossibile est, immundam animam, quantalibet desudaverit lectio instantiâ, adipisci scientiam spiritualem; nemo enim in fatidum atque corruptum, unguentum aliquod nobilitatis aut mel optimum, aut pretiosi quidquam liquoris innotuit. Hinc & S. Gregorius Theologus in carmine de vitiis canit:

Quam soli cernere possunt,

Qui bene purgârunt generosæ lumina mentis.

Secundum medium est *pax animi*: nam sicut in aqua turbidis atque agitatibus perturbata apparent omnia confusa, quæ eadem in immotis clarè atque distinctè conspiciuntur; sic animus omni vacans perturbatione, cum omnes, tum sacrarum literarum arcana mysteria planè percipit, qui tamen à passionibus agitatus & commotus quidquam intelligit.

Tertium est *Oratio*, cum enim hæc scientia sit liberata, inquit Origenes hom. 12. in Exod. orandus est DEUS, ut ipsum aperire dignetur illius ope, qui clavem Domus aperit, quisque aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit. Hinc & S. Jacobus ait, *si quis vestrum indiget sapientia, postulet à DEO*, & confirmans id ipsum Hugo l. de sacramentis, ad S. Scripturam, inquit, cognitionem opus est intimæ attentionis, quàm profunda investigatione; suspiriorum quàm argumentis; crebris gemitibus, quàm argumentationibus; lachrymis quàm sententiis; oratione, quàm lætitiis; gratiâ lachrymarum, quàm scientiâ literarum; celestium virtutum contemplatione, quàm terrestrium occupatione.

Quartum est *Humilitas ac animi demissio*: hic enim maximè locum habet illud Christi Matt. 11. *Confitebor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à Sapientibus*

bus, & revelasti ea parvulis. Unde meritò S. Augustinus epist. 56. Non aliam, inquit, ad capeſſendam & obtinendam veritatem tibi viam munias, quàm que munita est ab illo, qui gressuum nostrorum tanquam DEVS videt infirmitatem. Ea est autem prima humilitas, secunda humilitas, & tertia humilitas. Et quoties interrogares, hoc dicerem.

Quintum Fides firmissima non immeritò existimatur; nam, ut rectè S. Augustinus in Pl. 118. dixit, qui diligit legem DEI, etiam quod in ea non intelligit, honorat; & quod ei sonare videtur absurdè, se potius non intelligere; & aliquid magnum latere ibi iudicat.

§. VI.

De modo solido & facili studendi Theologiae Positivæ.

Varii à variis assignantur modi Theologiæ positivæ cum fructu studendi; ex quibus tamen meo iudicio optimus videtur, quem S. Bonaventura S. 19. in Hexameron assignat, ubi ait, hunc modum debere habere quatuor conditiones, scilicet Ordinem, Assiduitatem, Complacentiam, & Comensurationem.

Ordo requirit, ut, sicut Pueri primò addiscunt A, B, C, & postea syllabicare, & postea legere, & postea quid pars significet; similiter & in S. Scriptura primò aliquis sæpe studere debet in textu, & ipsum habere in promptu, deinde intelligere, quid dicitur per nomen, non sicut Judæus, qui semper tendit ad literalem sensum. Tota scriptura est quasi una cithara. Et sicuti chorda per se non facit harmoniam, sed cum aliis, similiter unus scripturæ locus dependet ab alio, imò unum locum respiciunt mille loca.

Ad hanc autem intelligentiam non potest Homo pervenire per se, sed per alios, quibus DEUS revelavit; oportet ergo recurrere ad Originalia Sanctorum, id est, ad Interpretes sacros, præcipuè SS. Patres, qui præ cæteris excelluerunt in vero scripturæ sensu explicando, eò quòd ob majorem itæ sanctitatem majus quoque à DEO lumen acceperint ad intimos S. Scripturæ sensus penetrandos.

Assiduitas in eo consistit, ut & frequenter legamus, &

con-

constanter eidem sententiæ insistamus, donec intelligamus  
impedimentum enim maximum est, inquit S. Doctor, lecti  
vagabunda; vagatio exterior signum est vagationis animi  
& ideo talis non potest proficere, quia non figitur in memo-  
ria, sicut ponit exemplum S. Gregorii. Quando homo  
dit faciem hominis semel, non ita perfectè postea cognoscit  
sed quando frequenter vidit, postea cognoscet. Sic de  
Scriptura; quia primò faciem obscuram habet; postea qua-  
do frequenter videtur, efficitur familiaris. Hinc & S. Iu-  
mascenus l. 4. de Orthod. fide c. 18. ait; *Si legerimus  
aut bis, & non intellexerimus, qua legerimus, non im-  
mus, non detrahamus, sed perseveremus, excitemur, ro-  
rogemus. Interroga, inquit, sacer scriptor Deut. 32. Para-  
tuum & annuntiabit tibi; maiores tuos, & dicent tibi;  
enim est omnium scientia.*

Complacencia requirit, ut magno cum desiderio, pro  
que consideratione & attentione legatur S. Scriptura; ut  
ut rectè S. Augustinus c. 6. de utilit. credendi dixit, *ut  
prius à nobis S. Scriptura debet, quàm disci. Vnde à  
quia aut oderunt, aut non amant, non intelligitur.* Et  
firmans id ipsum S. Bonaventura l. c. sic, inquit, *DEUS  
portionavit gustum & cibum, quia cibus dat saporem  
qui habet vim discretivam & ex his duobus cibus incorpo-  
tur; sic primò oportet sumere scripturam, postea masticare,  
inde incorporare.*

Commenfuratio denique exigit, ut non plus quisque  
piat, quàm oportet; sed illud Salomonis semper ob-  
habet Prov. 25. *Mel invenisti? comede, quod tibi sufficit  
fortè satiatus evomas illud.*

Ne ergo plus te extendas, inquit S. Bonaventura l. c. *ut  
ingenium tuum potest ascendere, nec infra maneat. Hoc  
in designatione huius, ut dicit S. Dionysius de coel. Hier.  
quòd Seraphin mediis volabant alis, ut nec sistat homo  
quod potest; nec ascendat supra illud, quod potest; sicut illi  
cantant ultra vires, nunquam faciunt bonam harmoniam  
dicit S. Augustinus. Tantùm proficit unus durus, dum  
modo ordinatè studium suum, prosequatur, sic-  
ut ingeniosus & inordinatè  
studens.*

## §. VII.

## De Interpretibus S. Scripturæ.

Cùm inter alia, quæ priori §. ad studium S. Scripturæ requiri dictum est, etiam hoc fuerit, ut quis suo tempore diligenter ad Interpretes S. Scripturæ recurrat, meritò pro conronide hujus Instructionis breviter hoc loco exponendum est, quinam meliores ejusmodi Interpretes censeantur, qui quidem ad duas Classes reduci possunt, videlicet ad SS. Patres, & ad alios, qui in SS. Patrum numero non censentur.

Ex SS. Patribus, (qui, teste Francisco Ribera in præf. in Hagg. n. 8. in hoc sine controversia vincunt alios Scriptores, quòd multò præstantiores habuerant Magistros, & scripturas non tam pro suo ingenio, quàm pro majorum traditione explicabant) placet eos ordine ætatis referre, & quid de iis paulò antè citatus Ribera præf. in Malach. ex suo & aliorum sensu judicaverit, breviter audire.

Origenes, inquit, ubi à fidei regula non discedit, nemo præstantior, nemo acutior, nemo elegantior, de quo meritò dictum est, quod refert Cassiodorus in Instit. divin. lect. Ubi bene, nemo melius. Ubi malè, nemo pejus. Felicitè excogitat, acutè comprobat, aptissimè eloquitur, & paucis verbis thesauros aperit scripturarum. Lectorem tamen requirit prudentem ac sobrium, ut sciat (quemadmodum S. Hieronymus scribit ad Avitum) in eo detestanda esse, quàm plurima, & juxta Sermonem Domini inter Scorpiones & Colubros incedendum.

S. Hilarius grandis est verbis, sapiens sententiis, toto genere gravis.

S. Ambrosius subtilis, brevis, & cum pietate Origenis imitator.

S. Cyrillus in historia magnus nec in Allegoria minor, vix ullum habet in Græcis, cui cedere debeat.

S. Chrysostomus nusquam non ingeniosus & doctus in Epistolis Pauli & alios vicit, & seipsum.

D. Hieronymus, eodem Ribera teste, ubique sui similis, etiam in hoc magnus est, quòd relictis Hæreticis, quibuscum pro domo DEI perpetuum & implacabile bellum gessit, ad



ad mores convertitur, aut Christum in lege, & Prophetis  
bis ostendit. Unde hic idem Author præf. in Zachar., in  
quæ ad vetus Testamentum pertinent, neminem sive ex  
cis, sive ex Latinis ipsi parem esse judicandum existimat,  
qui linguas, Hebræam, Chaldaicam, Græcam, Latinam  
clare cognoverit, & historiæ omnis peritissimus fuerit.

S. Augustinus ingenii mirabili acumine, & facultate  
subtiles & abstrusas explicandi in omnibus præstans, sive  
ad Historiam convertat, sive ad Allegoriam, ut Scriba doctus  
in regno Cælorum profert de thesauro suo nova & vetera  
eruditione in admirationem excitat legentem, subtilitate  
rigit, & oscitare non sinit, eloquentiæ suavitate demulcentis  
argumentis validis movet, & vehementer stimulat ad  
tatem.

S. Isidorus valde etiam utilis, divinarum humanarum  
rum cognitione florens, & pietatem ubique spirans.

Ifychius plenus est, & copiosus, & gravis, & Ribera  
tentiâ pares habet paucos, Superiorem fortasse neminem.

De S. Gregorio Magno sic scribit idem Author: Equum  
ita judico, cum de libris Moralis expositionis Job incidit  
mo, nullum habere librum Ecclesiam, præter eos, qui  
nitus inspirati sunt, illo doctiorem aut utiliorem. Per  
libros inoffenso pede currere licet, nihil timendum,  
habet non Catholicum, nihil non eruditum. Ut est  
gravis, maturus, religiosus, elegans, doctus, acutus,  
quens? quam absconditos sensus eruit, quam utiles,  
moribus formandis aptos? Eius libros ut optimos morum  
sanctitatis Magistros, & ut locupletissimum Scripturæ  
promptuarium adeamus, atque ille in hoc genere  
profecisse existimet, cui valde placebit Gregorius. Equum  
arbitror, si vel ejus unius libri studiosè legantur, præter  
simos inde Scripturæ Expositores, Concionatoresque  
posse. Iste est, quem ego non solum noctes ac dies legere  
iterum, atque iterum revolvi, sed ad verbum etiam  
posset, caperem edisci. Eum cum lego, soleo in DEI  
& gratiarum actionem excitari, quod talem, tantumque  
storem dederit Ecclesiæ.

Ex aliis Scriptoribus, qui in SS. Patrum classe non  
sentur, laudantur imprimis Nicolaus Lyranus, qui judicium

beræ præfat. in Zach., nunquam videtur prætereundus; est enim dilucidus, brevis, & eruditus.

Alphonfus Tostatus Abulensis Episcopus, ubicunque Commentarii ejus extiterint, avidè legendus est, inquit idem Ribera l. c., suppediat enim copiam rerum mirabilem, quærit plura, quàm ullus unquam quæserit: colligit dicta multorum, optimè eligit, copiosè tam aliena confutat, quàm sua confirmat, gravis, pius, & acutissimi judicii.

Glossa, quam Ordinariam vocant, valde utilis est, sed quoniam tota ex veterum Patrum scriptis concinnata est, eandem cum illis laudem meretur.

P. Cornelius Cornelii à Lapide Soc. JESU, qui quadraginta annis huic studio se incubuisse scribit, & à triginta annis nihil aliud egisse, integros in S. Scripturam, eosque insignes reliquit Commentarios, Job & Psalmis exceptis.

P. Jacobus Tirinus pariter Commentarium in integram Scripturam, opus, ut Bibliotheca Scriptorum Soc. ait, Calculis Chronologiæ, diligentissimè subductis, & variarum materiarum indicibus illustratum.

P. Joannes Stephanus Menochius quoque brevem explanationem sensus literalis totius S. Scripturæ ex optimis Autoribus per Epitomen collectam edidit.

P. Emmanuel Sa vulgavit notationes in totam S. Scripturam, quibus tum omnes ferè loci difficiles, tum variaz ex Hebræo, Chaldæo, & Græco lectiones mirâ brevitate explicantur, opus concisum quidem, sed magnis laboribus atque defesso studio elaboratum atque perfectum. Item Scho-

la in quatuor Evangelia, brevia quidem, sed erudita, ex selectis Doctorum Sacrorum Sententiis collecta, quam verè

ream Catenulam posses appellare, inquit cit. Bibliotheca. Quibus addi possunt P. Alphonfus Salmeron in novum Testamentum. P. Sebastiani Barradii Commentaria in Con-

ditionem & Historiam Evangelicam. P. Franciscus Ribera in Prophetas minores Joannis Evangelium, & Epistolam ad Hebræos. P. Nicolaus Serarius in tres libros S. Script. P. Ferdinandus Quirinus de Salazar in Proverbia. P. Didacus de Celada in Judith, & plures alii.

E

TRA-